CHRISTOPHORI BESOLDI, JC.

OPUSCULORUM JURIdicorum,

Pars Tertia.

CONTINENS

Commentarium luculentum, ad Titulum 1. 3. 4. 5. & 6. Libri 1. Pandectarum.

Ultra CC. Juridicas & Politicas quæstiones decidentem.

CUI INSUPER

Auctarium Philologicum, est subjunctum.

TUBINGÆ,

Typis PHILIBERTI BRUNNII,

ANNO M. DC. XXVII.

CHRISTOPHORI BESOLDI, JC.

OPUSCULORUM JURIdicorum,

Pars Tertia.

CONTINENS
Commentarium luculentum, ad Titulum 1. 3. 4. 5. & 6. Libri 1. Pandectarum.

Ultra CC. Juridicas & Politicas quæstiones decidentem.

CUI INSUPER
Auctarium Philologicum, est subjunctum.

TUBINGÆ,
Typis PHILIBERTI BRUNNII,
ANNO M. DC. XXVII.

Benedictus Wincklerus, d. Princip. Jur. 1. cap. 1.

QVi Iurisprudentiæ operam daturi, veram solidamque sibi Iuris cognitionem exoptant; necessariò à primis principiis ordiuntur: cùm quia ratio docet, omnia ordine à suis principiis proficisci; tum quia fieri non potest, ut quis neglectis initiis, ad plenam alicujus rei cognitionem adspiret. Accedit alia investigandi principia Iuris necessitas; quòd ex vulgari eorundem ignorantiâ, tantus invaluit Iuris contemptus, ut quidam nobis omnem vitæ disciplinam, quæ in jure consistit, labefactare & evertere conentur. Ac rationes quoque Legum probas, sola suggerunt juris principia; ex iis tanquàm è quodam copiæ cornu, eas depromas licet: si non speciales, attamen generales, & inexpugnabiles; tuæ conscientiæ, alienæ cavillationi satisfacientes. Age ergò, si non lites, sed justitiam discere placet; si cordi sunt ea quæ diximus, principia juris diligenter investigaturi, rem seriò aggrediamur.

Elenchus Quæstionum, hoc in opusculo resolutarum.

PRÆCOGNITA MISCELLANEA GENERALIA.

1. CVr Digesta Pandectarum nomine signentur.
2. Genus hoc inscriptionis, anne sit ambitiosum.
3. Cur Digesta vocitentur.
4. In septem partes cur dividantur.
5. De vulgari illâ divisione, quâ in Vetus, Infortiatum & Novum segregantur.
6. Antinomiæ an in jure nostro occurrant.
7. De rationibus ἐναντιόφανα conciliandi.
8. Num annus, quo juris nostri conditores vixerunt, hic sit in subsidium devocandus.
9. De titulis, qui cuilibet responso in pandectis præfiguntur.
10. Num sibi invicem derogent, Digesta, Codex & Institutiones.
11. Num ex merito, ob compositionem, interpolationem ac derogationem Iuris veteris, malè audiat Tribonianus.
12. Iustinianus num omnium literarum fuerit imperitus.
13. Num Tribonianus Gentilis, Atheus.
14. Num Florentinarum lectio semper approbanda.
15. De nomine Rubricæ.
16. De methodo cognoscendi Iura.
17. Quinam sint Lytæ ac Prolytæ.
18. An Christianis uti liceat legibus Ethnicorum.
19. In politicis controversiis, semper respiciendum esse ad Theologiam.
20. Num invocatio Numinis Divini, &c. sit de formâ instrumentorum.

Lex I. ff. de just. & jur.

1. Ius à Iustitiâ denominatur.
2. Ius in naturâ, non in opione tantùm consistit.
3. Quomodo Politice & Iurisprudentia discrepent.
4. Iurisprudentiam non proprie scientiam esse.
5. Ius Romanum, num artis nomen mereatur.
6. De Methodo Tribonianâ.
7. Ius nostrum æqui & boni artificialis notitia est, nec nudâ legum absolvitur cognitione.
8. Ius Naturale & Divinum, & quoque Consuetudo, recipiunt Æquitatis temperamentum.
9. Num aliqua sit æquitas scripta.
10. Iureconsultos non adsimulatam affectare Philosophiam.

21. Pri-

Quæstionum.

21. Primum ictum nemo tenetur expectare.
22. Non armorum æqualitatem necessariam esse.
23. Non fugæ necessitatem incumbere insultato.
24. De pœnâ homicidii dolosi.
25. De usu asylorum.
26. Excessus in defensione, quatenus puniatur.

Lex. IV.

1. Servitus à naturâne, vel ex gentium instituto originem sumat.
2. An Christianis liceat habere servos.
3. Cessat hodiè jus antiquæ servitutis.
4. Anne expediat illud revocari.
5. An & quatenus jus naturale, mutationi obnoxium existat.
6. Quomodo manumissio definienda.
7. Tria tantùm hominum genera sunt; Liberi, Servi & Liberti.

Lex. V.

1. Bella sunt Iuris gentium positivi.
2. Regna & ratio imperandi:
3. Dominiorum item distinctio, primævóne, an Iuri gentium secundario debeant adscribi.
4. Ædificia collata, non collocata hîc est legendum.
5. Commercia & contractus plerique, Iurigentium tribuendi.
6. Emphyteusis in classem contractuum Iurisgentium reponenda,
7. Quo jure Actiones sint introductæ.

Lex. VI.

1. Quomodo Ius Civile efficiatur.
2. Ad legis essentiam scriptura num requiratur.
3. An Lacedæmonii habuerint quoque leges scriptas.

Lex. VII. & VIII.

1. Iuris civilis significationes & partitiones.
2. An Prudentum Responsa, obtineant vim legis.
3. Pertinere ea ad Ius scriptum.
4. Quis olim, quis hodiè tribuat de Iure respondendi facultatem.
5. Anne bullati Doctores, Academicis æquiparandi.
6. De Authoritate communis opinionis.
7. An res Iudicata inter partes Iuris scripti debeat poni.
8. Ad quam speciem Iuris scripti, statuta nostri temporis referenda.
9. Quantum licuerit olim Prætori in Iure interpretando, corrigendo, supplendo.

Lex. IX.

1. Quatenus Populus sibi constituat Ius.
2. Ius hodiè Romanum, magis pro doctore, quàm pro lege est habendum.
3. Quis condere possit statuta.
4. De ordinationibus & statutis collegiorum.
5. An Testamentum juxta loci statutum conditum, valeat etiam eorum bonorum ratione, quæ alibi sunt sita.

6. An Incolis privilegiatis, secundum Ius loci, ubi habitant, succedatur.
7. An statutum de successione intestati disponens, vim suam exerat ultra limites territorii sui.
8. Statuto num induci queat, ut ad superiorem non appelletur.

Lex. X.

1. Iustitia definitur.
2. Et ea definitio, adscribitur Iustitiæ humanæ:
3. Particulari Iustitiæ non universali.
4. Voluntas inibi quomodo sumatur.
5. Num in concreto vel in abstracto Iustitia definiatur.
6. Num hic tribuens, vel tribuendi, sit legendum.
7. An dentur casus pro amico.
8. Nec latroni, nec piratæ suum esse denegandum.
9. Iustitia dispescitur in commutativam, & distributivam.
10. Cur post Iustitiæ definitionem, Iuris tradantur præcepta.
11. Iuris præcepta tria, anne triplex contineant officium ICti.
12. Non plura sunt Iuris præcepta tribus:
13. Nec etiam pauciora. Primum non continet reliqua duo;
14. Nec tertium duo priora.
15. Nihil aliud quàm honestum, præcipit Ius Civile.
16. An circumventio in emendo & vendendo, oppugnet præcepta Iuris.
17. Ars Iuris, à Iurisprudentiâ aliquid est diversum.
18. Quatenus Iurisprudentia, scientia denominetur.
19. An illa verba Iusti & injusti scientia, superflua sint in Iuris prudentiæ definitione.
20. An Iurisprudentia, rerum Divinarum atque humanarum notitia ritè deprædicetur.
21. An ea rectè in Theoricam & Practicam dividatur.

Lex. penult. & ult.

1. Anne Ius appellari possit locus in quo judicatur.
2. Sententia Prætoris etiam iniqua, valet.

Oiconomia Tit. 3. & 4. Lib. 1. ff.

1. Summarium dicendorum.
2. Definitio Legis.
3. Leges accipiendas esse de iis, quæ facilè accidunt & frequenter.
4. Iura non in singulos, sed generaliter sunt constituenda.
5. Legis vires & proprietates.
6. Leges in Monarchiâ solus condit Princeps.
7. Quatenus is legibus solutus dicatur.
8. Explicatio ac historia Regiæ legis.
9. Eam Principi, etiam in ipsum populum dare potestatem.
10. An Interloquutio Principis, pro lege habenda.
11. Ius, non legem olim potuit facere Senatus.
12. De auctoritate rerum judicatarum.
13. Leges necessariò vel interpretatione, aut certè Iurisdictione supplendæ.

14. De verbis & mente Legum.
15. Quæ in fraudem legum fieri censeantur.
16. An omnium in Iure ratio reddi possit.
17. Alienum est de Iure, nisi tota Lege perspectâ judicare.
18. Sternitur via legum interpretationi.
19. In lege interpretandâ, benigniores esse debemus.
20. Accipienda ea significatio est, quæ vitio caret.
21. Quæ salubriter pro hominum utilitate introducta, ad severitatem producere non debemus.
22. Singulariter introducta, ad consequentiam haud trahenda.
23. Errore primùm obtenta, in aliis similibus non obtinere debent.
24. Si Lex in præteritum quid indulget, in futurum vetare videtur.
25. Minimè esse mutanda, quæ interpretationem certam semper habuerunt.
26. Constitutio posterior, derogat priori.
27. Vis legis prioris, ad posteriorem, & contrà posterioris ad antiquiorem accommodatur.
28. De authoritate consuetudinis, seu Iuris moribus introducti.
29. Anne post Regiam legem, Ius faciat consuetudo.
30. Num Lex à Principe scripta, consuetudine possit abrogari.
31. Quot actus ad consuetudinem introducendam sufficere possint.
32. An ii debeant esse judiciales.
33. Quot anni ad cõsuetudinem introducendam necessarii videantur.
34. Quatenus probabili ratione niti debeat consuetudo.
35. Quòd in dubio recurrendum sit ad consuetudinem urbis Metropolitanæ.
36. An leges humanæ conscientiam ligent.

Oiconomia Tit. 5. & 6. Lib. eiusdem.

1. Quomodo ius, quo utimur, universim ad personas, res & actiones sit referendum.
2. An omnes homines, vel liberi sint vel servi.
3. Servi unde, & quibus nominibus indigitentur: ac quotuplex eorum conditio existat.
4. Servi fiunt cùm gentium, tùm civili Iure.
5. An injuria fiat servis.
6. Definitio Libertinorum.
7. Ingenuum etiam sententia facit.
8. Filii cur matris sequantur conditionem: & quòd ad ingenuitatem sufficiat, vel medio tempore matrem liberam habuisse.
9. In favorabilibus qui in utero est, habetur pro jam nato.
10. Reiicitur lima Ant. Fabri, quam adhibet legi 15. & l. 16. d. stat. hom.
11. Omnes personæ vel sui, vel alieni sunt Iuris.
12. Quænam nuptiæ efficiant legitimum partum.
13. Patria potestas, Ius est proprium civium Romanorum.
14. De partu septimestri.
15. Exclusâ [illegible] avo nepos succedit.
16. Furor [illegible] patriam potestatem.
17. In publicis causis, paterna Iura interquiescunt.

18. Vbi

Corollaria.

Præcognita

PRÆCOGNITA MISCELLANEA GENERALIA.

I. PAndectarum nomine, ex eo signantur hi libri, quòd in unum congregatam receperint Juris doctrinam omnem, omnesque in se habeant legitimas disputationes. *Const. de confirm. ff. ad omn. Popul. §. 1. de confirm. ff. ad magn. Senat. §. 1. Cujac. in parat. ff. in pr.*

Non novum est in Juris Civilis scientiæ libris, hoc nomen. Ulpianus enim Libros 10. Πανδεκτῶν scripsit: ex quibus nihil hodiè superest nobis. Et fuere pariter Modestini 12. Pandectarum libri: qui plus quàm septuagies in Jure nostro laudantur. *Eberlin. d. Orig. Iur. c. 52. n. 46.* Eàdem & ij quondam usi sunt inscriptione, qui variam ac miscellam, & confusam quasi doctrinam conquisiverunt. *Plin. in præf. Histor. Natural. ad Vespasian. Agell. lib. 13. c. 9. & lib. ult. c. ult.*

2. Genus hoc inscriptionis, ambitiosum jam olim habitum, & propterquod vadimonium, ut Plinius loquitur, *supra citato loco*, deseri possit: an Justinianeus hic labor tueri queat? ambigit Herman. Vultejus. *proleg. Jurispr. Roman. fol. 26.*

Affirmamus id: per rationes in commendationem Pandectarum adductas in Epigrammate Græco, Pandectis Florentinis præfixo; quod Latinè reddidit Andr. Alciatus. *2. Prætermiss. circa princ.* quasque congesserunt Petr. Faber. *2. semestr. 1.* Duarenus, *in enarrat. ff. cap. 2.* Jac. Bouricius, *in Panegyr. ad Pandect.* Laurent. Valla *Præfat. lib. 3. elegant.*

Udalr. Zasius, *tr. Antinom.* in hoc præconii lenocinio (sicuti de Apellis imperfectà Venere, Plinius dicebat) dolorem inesse ait; quòd veterum interverterint Jureconsultorum libros: ut & Contius conqueritur. *1. Lection. 9. nu. 4.* cùm tamen magis, quòd

indè adhùc aliquid superfit; quàm ut ij perierint, in caussâ esse videatur compilatio Pandectalis. *argum. §. 17. ibi: multitudo antiqua, præsente brevitate paucior invenitur. d. confirm. ff. ad O. P. §. 17. d. confirm. ff. ad Senat.*

3. Itidem & Digesta vocantur libri iidem (pariter ad imitationem quorundam ex priscis Jurecconsultorum) eò quòd contineant omne Jus antiquum, à Romuleis temporibus confusum, in certos Titulos digestum, hoc est, dispositum quodque suo loco. *de concept. ff. §. 1. & 5. de confirm. ff. ad O. P. §. 1. d. conf. ff. ad Sen. §. 1. vid. tamen infrà comm. hacce, ad L. 1. d. Just. & jur. §. 6.* Idque nobis, quod olim Jul. Cæsar, morte præventus inter misit, *Sueton. in vitâ. c. 44.* ac Cicero aliquandò cogitaverat, 1. *d. Orat. fol. mihi* 180. & ut fieri possit, singulari docuerat libro, *Agell. 1. c. 22*, præstare videantur.

Christophorus Colerus *Parerg. c. 23.* falsum esse dicit Tribonianum, quòd putaverit Digesta dici posse Pandectas; cùm potiùs σχεδιάσματα sint, & iis aptiùs respôdeat Cornucopiæ nomen: Digesta verò habeant Oeconomiam. Sed annè, qui omne rerum atque doctrinarum genus continent libri, Pandectarum proptereà amittunt nomen, iis si methodum addas?

4. Opus hoc, Numerorum naturam & artem respiciens, in septē divisit partes Justinianus. *d. conf. ff. ad O. P. §. 1. Duar. ad ff. c. 3.*

Quòd Septenario Divinitatem inesse crediderint veteres; tradunt Macrobius. *1. somn. Scip. cap. 5. & 6.* Corn. Agrippa, *2. occult. Philos. 10.* Andr. Laur. *8. Histor. Anatom. quæst. 31.* Johan. Talentonius, *thesaur. rer. variar. 4. c. 2.* Et ejus superstitionis, cùm hìc, tum alibi in Iure nostro, reliqua sunt vestigia. *l. 21. C. d. testam. §. 2. & 3. Inst. de test. ord. Novell. 105. cap. 1.* Verùm nil hìc opus est cæremoniarum: mysteria investigemus, non confingamus.

5. Bulgari verò & Azonis seculo, in tres Tomos (Vetus, Infortiatum & Novum Digestum) segregari cœpit: distinctione (quod ait Haloander) ut vocabulis; ita reipsâ etiam, barbarâ & novâ. *v. Alberic. Gent. d. lib. Jur. Civil. cap. 6. à princ.*

Originem hujus distinctionis tangit Vultejus, *proleg. I. R. f. 28.* Priorem Tomum, Vetus Digestum vocari puto, quòd multa ha-

beat (de origine Juris, Magistratibusq; Romanis) usu minùs cognita. Novum, à primo ejus capite. *Br. sum. d. oper. nov. nunc. nu. ult.* Appellatio Infortiati, in quâ nimium laborant nostrates; *v. Coras. 7. miscell. 22. Gothofr. rubr. sol. matrim. lit. a. ibidemque latè hâc de re disserentem Barbosam. Iohan. Stuck. exerc. ad Inst. general. part. 1. thes. 3. num. 3.* fortè an exinde provenit; quòd post titulum de Divort. in eo, qui est solut. matr. capiat initium.

Sed ut hîc, ita pariter inanis etiam est labor quaerentium, cur notaverint Digesta majores nostri, in hunc (ff) modum. Est enim inventum Notariorum, quod plerunque rationem habet nullam. *Cujac. 12. observ. c. ult. in fin. v. Lex. Calvin. verbo Digestorum liber. Vult. in proleg. Iurispr. Rom.*

6. Multa Juris nostri capita, implacabiliter sibi invicem cōtraria esse, non mirum foret, si Laur. Valla, *6. eleg. c. 59.* contenderet solus:

—solitus qui parcere nulli est.

sed & ipse hoc approbat Budaeus, ille inquàm Budaeus, elegantiae candore ad assem formatus homo, imò in Politioribus litteris cum paucis princeps, *in praeclar. suis ad ff. adnotat. prior. ad l. ult. d. Aedilit. edict.* Eas quidem Leges, labem contradictionis quibus Budaeus satagit inferre, non à se invicem dissonare, Cujacius demonstrat: 8. *obs. c. 9.* & tamen alias agnoscit Antinomias, idem. *lib. eod. c. 8. & in not. poster. ad Instit. tit. d. Legat. vers. & licet alienaverit. tr. ad African. ad l. qui negotia.* Cui adstipulantur non imi subsellii scriptores, & ex pragmaticis quoque nonnulli. Hotomanus, Ant. Faber, Anton. Matthaeus, *in suis lucubrationibus passim*, Goveanus, *2. lect. var. 27.* Covarruvias, *1. var. c. 3. nu. 7.* Arias Pinel. *ad l. 2. C. d. resc. vend. part. 2. c. 4. nu. 53.* Wesemb. *in parat. ff. d. pact. sub nu. 9. f. m.* 183. Bocerus, *centur. conclus. miscell. thes.* 2. Busius 6. *subtil. c. 15.* Val. Guil. Forster. *4. tractation. Justinian. disp. 3. th. 4. f.* 518. *&c.* aliique per quàm multi.

Sanè ut Athenis Philosophorum, ita Romae quondam factiones fuerunt variae Jureconsultorum. Attejus etenim Capito, & Antistius Labeo, maximae auctoritatis viri, inter se plerunque dissentiebant; eorumque sectas discipuli posteà sunt exequuti. Attejo

tejo

tejo Capitoni namque successit Masurius Sabinus, Labeoni Nerva; qui adhuc eas dissensiones augebant. Sed & Cassianorum ac Proculianorum, Sabinianorum & Pegasianorum perpetuæ quasi dissensionis origo, cœperat à Capitone & Labeone. *l. 2. §. 47. de orig. jur. Ant. Contius, 1. lect. subseciv. c. 12. Busius, 6. subtil. ult. Hunnius, 2. de Iur. interpret. c. 2. quæst. 3.* Cùm ergò tot ac tantæ inter artis nostræ peritissimos fuerint lites, eæque in controverso jure potissimùm emergentes: cumque ex diversarum illarum hæreseωn sectatoribus, conflatæ sint Pandectæ, fieri non posse ajunt, ut omnia earum dissensionum vestigia sint obliterata. Nec quoq; leviorem in Principum rescriptis, contradictionum suspicionem esse: utpotè qui ex Jureconsultorum quos in cõsilium adhibebant opinione statuentes, non minùs contraria rescripta edidère, quàm ipsi JCti variè responderunt. Tantam certè non fuisse diligentiam Triboniani, tantum studium, tantam eruditionem, ingenium denique tantum, ut omnes illas tolleret contrarietates. Et hinc est quod dicunt, Paullum & Ulpianum diversarum scholarum auctores plerunque fuisse sequutos; Paullo sollemne esse ab Ulpiano dissentire. *Cujac. in notis ad animadvers. Roberti. 1. c. 17. f. m. 444. Alberic: Gentil. s. d. Nupt. c. 10. f. 539.* Nec mirum esse, Compositores memoriæ lapsu repugnantia Responsa huic juris corpori inseruisse, neque etiam aliter fieri potuisse, cùm tria integra volumina (Institutionum, Cod. & Digestorum) brevissimo temporis intervallo, totidem nempè annis, *d. confirm. ff. ad magnum Senat §. 12.* congesserint nimis præcipitanter. Et hinc reconciliatorios quorundam conatus, quibus è diametro inter se pugnantes, & versicolores hujusmodi centones in concordiam redigere student, profundo excipiunt risu; nihilq; tam dissonum esse dicunt, ariolatrice illâ interpretatione: quodque Accursius, desultoriâ levitate, nunc à Martino ad Johannem, & indè rursus ad Bulgarum aut Azonem, & subindè ad alium atque alium transit, variosque contraria conciliandi modos adducit, & verò quandoque (si aliud comminisci non possit) ad Apollinem confugit. Ab hac sententiâ parùm in effectu discrepare videtur opinatio eorum qui non audiunt simpliciter Antinomias admittentes; sed nullam esse pugnantiam dicunt, nullum contrarium locum, quorum uterque pro jure observetur: quin imò, unum ex iis confe-

stim

stim Justinianum auctoritatem suam interponente, expressè reprobari, si qui collidere videantur. Et quòd diversa hæc & contraria Systemati Juris inserta sint responsa, historiæ id factum esse causâ. ac ut Jureconsultos contraria interdùm sensisse constaret, felicemque Justiniani industriam, & quid præstiterit vel innovârit, intelligeremus: quæ fuit sententia Donelli, *8. comment. c. 11. & 20.* illiq; ut ferè semper, accedit Dominicus Arumæus. *exercit. Iustinian. 1. thes. 2.* omninò verò eam proscribunt Vultejus. *1. discept. c. 18. apr.* Hunnius. *d. Interpr. 2. c. 2. q. 2.*

At sunt quamplurimi vicissim, contrariis qui legibus vacuatum esse Jus nostrum, nihilq; in eo relictû seditiosi, asserunt audacter. *Zas. tr. de Antin. Duar. enarr. ff. c. 3. Charondas, 2. verisim. 1. Pet. Aug. Morla, empor. Iuris part. 1. t. 1. quæst. 11 Hunnius. d. c. 2 q. 3. aliiq; infiniti.* Ajunt, Jurisprudentiam Justinianeam, omni iniquâ discordiâ liberatam esse, plusquàm septies ab ipso Justiniano affirmari: *§. 2. d. novo Cod. faciend. §. 1. d. novo Cod confirmand. §. 1. 4. 8. d. concept. ff. §. 1. 15. d. confirm. ff. ad omn. Populo. §. 1. 15. d. confirm. ff. ad Senat.* eique fidem derogare, piaculum esse putant. Nec, si non dedecore Jus nostrum opprimere velint, aliter sentire se posse contendunt. Diffidentibus respondere perhibent, ipsum nostrum Imperatorem, *in §. 2. d. novo Cod. faciend. §. 15. d. conf. ff. ad omn. Populos. §. 15. d. conf. ff. ad Senat.* Et contra nonnullorum argutias in investigandis Antinomiis, dicere solent non impertinenter: hâc effici diligentiâ superstitiosâ, ut & in ipsis Sacris litteris, infirmi malè subvereantur. *Alb. Gentil. disp. ad Machæor. lib. 1. cap. 10.*

Ego maxumè perpendo, quòd noster rescribit Imperator, *in §. 4. d. concept. ff.* nullam similitudinem neque discordiam, secundum quod possibile est, fuisse derelictam. Et *§. 15. d confirm. ff. ad Senat.* non facilè contrariam aliis Legibus, Legem in Pandectarum volumine quem reperturum; si modò ad omnes contrarietatis fines animum intendere festinet: sed inesse aliquid diversum, quod assumptum alterius generis fortè hanc & illâ Legis positionem facturum sit apparere. Ideoque adprobare non possum, quòd subindè nonnulli confugiunt ad id, ut dicant subesse cõtrarietatem: vereor etiam, ut omnes negare queamus; cùm & Justinianus, timidè ac diffidenter omnes omninò neget contradictiones.

7. Variæ sunt ἐναντιοφανῶν conciliandi rationes; de quibus

agunt Charondas.2.*verisimil.*1.Duarenus,*ad t.ff. de Legib. c. 10.* Morla *d.t.1 quaest. 11.* Johan. Mercerius, *in suo Conciliatore.* Bussius,*d.c.15.lib.6.subtil.* Val.Guil.Forsterus, *in scholiis ad Conciliatorem Durandi.* Et notat Fr. Davidargentè,*notar. Jur. select. fol.*51. monere se semper in ambiguitatibus istis, inspiciendam esse Legem,quæ continet regulam magis receptam & usitatam: locum verò ei contrarium, aliò flectendum, & detorquendum ad suum casum specialem.

8. Non autem ita in concordiam reducendæ sunt Leges;ut annum quo Jureconsulti in Pandectis laudati vixerunt, in subsidiū devocemus. Quod tamen facit Morla, *d.quaest.11.n.22.&c.* & relati à Forstero,*Interpr.1.c.5.nu.14.&c.* Etenim Justinianus, omnia quæ in Pandectis habentur sua fecit; nec vult ut Legum suarum volumina,in alias atque alias conditorum partes dividantur.*§.6.& 7.d.concept.ff.* Quod idem & de Codice pronuntiari debet.*Hunnius 2. d.Interpr.c.3. quaest.1.*Quamvis Donellus *15.com.40. ad fin.* non rarum esse dicat, ut in Codice Leges posteriores prioribus adversentur: seciùs ac in Digestis.

9. Pariter ex præfixis cuilibet Responso titulis, seu adnotatione locorum, undè singulæ Pandectarum Leges sunt desumptæ; nec debere nec posse, textuum vel interpretationem vel conciliationem hauriri, censemus. Contra August. Morlàm.*d. quaest.11.nu.20.*Cujacium, 15.*observ.* 30. Gœddæum, *ad rubr.d. verb.signific.num.fin.* cum Alberico Gentil. 1.*disput.Reg.f.m.33.* Hunnio,*d.Interpr.2.c.2.q.*8.

Eò res tandem pervenit, ut multi, non jam ad titulos Pandectarum, sed ad singulorum mage Jurisconsultorum libros,singulatim commentaria protrudere maline. Digestorumque opus, ex multis veterum Jureconsultorum operibus, magno labore cōgestum. dissolvere iterum, & Penthei instar in varia discerpere membra; eaque ex harum inscriptionum ductu colligere rursus, ac ad Africanum, Macrum, Modestinum, Papinianum, Paullum,&c. audeant scriptitare tractatus. At verò non voluit Justinianus, ut ex ipsis veterum Jurisconsultorum libris, explicatio

petatur,

petatur. § *10.d.confirm.ff.ad omn.Populos.§.10.d.confirm.ff ad Senat.§.6. & 7.d.concept.ff.* Ergò multò minùs, ex incertis & fallacibus titulis eorundem. (2) Divinatoria planè interpretatio est, ex inscriptionibus illis derivata: multa namque Jureconsultorum veterum scriptis detraxère vel adjecère Compilatores: *d. §. 10. & §. 2. de novo Cod.faciend.* ita ut hodiè quæ fuerit sententia illorum, ex centonibus qui reliqui sunt in Pandectis, certò cognoscere nequeamus. *Duaren. in enarrat. ff.cap.3.* Et sæpè nomina Iureconsultorum prætenduntur sola; nil licet ex eorum subsequatur mente: ad honorem saltem suum auctoribus adserendum. (3) Prisci Iureconsulti in libris suis, etiam heterogenea tractàrunt; vicinasq; (quod est credibile) quæstiones intermiscuerunt: ut ita ex argumento tractatus generali, de singulis ejusdem partibus & centunculis, nihil concludi queat. Res exemplo clarior fiet. Lex 31. ff. de llb. desumpta quidem est ex libro 13. Ulpiani, ad Iuliam & Papiam Legē. Sed non exindè rationabili consequentiâ Cujacius subsumit; Legibus tantùm caducariis Principem liberatum esse, ibi ab Ulpiano pronuntiari: quis enim me certiorem reddere potest, quòd Ulpianus non eo loci in genere disputàrit, an omnibus Legibus Princeps solutus censeatur?

10. Digestis an derogent Institutiones: & utrisque numquid decerpat repetitæ prælectionis Codex? non ita expeditum esse videtur: cum magni hoc dicant Jureconsulti. *Duaren. enarrat. ff. cap.3. Contius, 1. Lection subsec.7.nu.2. Cujac. præf. Paratitl. Cod. Donell. 3. com. c. 12. Vultejus, proleg. Jurispr. Rom. f. 23. Alber. Gent. d. lib. Jur. Civ. c. 1. Val. Guil. Forsterus, ad Conciliat. Durandi. vers. Novitas. Hunnius. 2. d. Interpr. c. 2. quæst. 1.*

Novellas constitutiones plerunque aliquid detrahere Pandectis, nec parcere Juri in Codice & Institutionibus relato, dubitationem non habet. Sunt enim Novellæ, quod adnotat Cedrenus *in Iustin.* sic dictæ, quòd nova eis, atque à veteribus diffidentia Jura constituantur: & ipse Justinianus promittit, si quid in posterum meliùs inveniatur, se redacturum in formam constitutionis, atque in aliam congregationem relaturum. *§. 4. de emend. Cod. §. 18. d. confirm. ff. ad omn. Pop. §. 18. d. confirm. ff. ad Senat.* Quin & ipsæmet Novellæ, pro tempore quo sunt scriptæ, sibi invicem derogare putantur.

tantur. *Vel.Guil.Forsterus,ad Concil.Durandi, d. vers. Novitas.* Et sunt inter eas Justiniani patris, omni Justinianico Juri cedentes *Alberic. Gentil.de lib.Iur.Civ.cap.1.ad fin.*

Institutiones verò, Pandectas, & Codicem, quamvis diverso tempore confecta atque promulgata; *ut accuratè docent Contius, 1.lection.7.Vultej.in proleg.Iurisp.Rom.* non tamen sibi invicem derogare: sed pro uno ac integro, Juris sibi undique consonantis Systemate habuisse Justinianum; cum VValthero, Francisco de Garzatoribus, & qui hos allegat Leop. Hackelmanno, *1.quaest. illustr.thes.1.* r putamus.

Sunt quidem in Codice praelectionis repetitae, quinquaginta novae, priori Codici non insertae decisiones; quae videlicet sub Lampadio & Oreste, vel post eorum editae sunt consulatum. *Hilliger.ad Donell.1.cap.12. lit.K.* Attamen in confectione Institutorum, habita fuit ratio novarum illarum Constitutionum, quas pro emendatione veteris Juris vulgavit Justinianus. *§.11.d.confirm. ff.ad O. P. §.11.d.conf.ff.ad Senat.§.12.Instit.de Fideicom.* undè & Hunnius, *2.c.3.q.2.* Leges Codicis Institutionibus contrarias esse, negat. Institutiones autem aliquid decerpere Digestis, dictu absonum est; cùm utrisque idem ex quo valere debeant, praestitutus fuerit dies: *§.23.d.confirm.ff.ad o.p. §.23.d.conf.ff.ad Senat.* nec novitas Legum, ex compositionis, sed promulgationis potiùs & validitatis tempore sit aestimanda: utcunque in contrarium disputet Gentilis, *d.libr.Iur.Civ.c.1.f.9.* Et porrò quid absurdum magis est, quàm Epitomen in gratiam juniorum conscriptam, perfectiorem, plenioremque reputare ipso opere, ex quo est desumpta?

Novissimus Codex, licet ratione dispositionis seu compilationis, ut & intuitu promulgationis, posterior sit Pandectis; attamen ratione dispositorum, Digestis est prior: & in illo quae habentur novae decisiones, primo Codici non junctae, Pandectas (paucis, & vix quatuor vel quinque exceptis) praecesserunt. *Freymon.in Chronolog.Iuris.* Vix itaque credi potest, Juris nostri Compilatores, novissimarum illarum sanctionū ita immemores fuisse; ut ab ijs aliquid dissonum immiscuerint Digestis. Imò profitetur Justinianus, maximum illis quinquaginta Cōstitutionibus antiquarum Legum articulum emendatum, & coarctatum; omneque Jus vetus, supervacuâ prolixitate liberum atq; enucleatum, in Institutio-

ſtitutionibus & Digeſtis redditum fuiſſe. §. *1 d. emend. Cod.* Et quoque ipſe Pandectarum compoſitionis labor, multis deciſionibus novis, Codici poſteriori inſertis, anſam dedit. *L. 4. verſ. conſtitutio. C. d. liber. praeterit.*

11. Ob compoſitionem, interpolationem, ac derogationem Juris veteris, malè audit Tribonianus. At verò utilius honeſtiusque eſſe videtur (dicente David Argentè, *notar. f 47.*) nos Cathedrarios errata benignè interpretari, quàm affingere ficta facinora Triboniano, viro potentiſſimo, Romani Imperii & Imperatorum gubernatori: de quo nonniſi honorificè loqui Doctoribus licet; qui per ejus immortale Juris opus, propter illud, & ex eo ſubſiſtunt & ſuſtentantur.

Triboniano imprudentiae, πανουργίας, temeritatis, negligentiae, errationis multijugis, & cujus non criminis? notam impingũt Anton. Faber, *paſſim.* Ant Matthaeus, *comment. ad Inſtit. (qui multas praetereà in eum ſenſum collegit auctoritates, & diſputationibus ſuis ad Inſtitutiones praefixit)* Concius, *1. lection. 9.* Raevard. *1. var. 17. lib. 4. cap. 14. 19. & tract. de veris uſucap. different. adverſus Tribonian.* Cujacius, *ad l. 7. in princ. d. pactis.* Colerus, *parerg. c. 28.* Soarez, *ad Gomes. tom. 2. cap. 13. Lit. I.* Eorumque nonnulli, innumeros ut verſiculos, clauſulas, periodos integras è Corpore Juris expungendas eſſe, perſuadeant incautis; ea tanquàm à Triboniano pro Veterum ICctorum doctrinâ obtruſa, pro craſſis interpretamentis, deliramentiſque ineptis haberi debere, decernunt. Quin & indigniſſimè in ipſum Iuſtinianum Forcatulus debacchatur. *Dialog. 82. nu. 1.* Os impudens hominis, ait, peream ſi eſt dignus paſcere porcos Iuſtiniani. Et tamen non eſt veritus ſuarii filius, Divinas ſibi ſententias vindicare, &c.

Verùm inepta haec eſt interpretandi; imò manifeſta eſt ratio Iuris noſtri evertendi, confundendique: ut multis evincit Oſvvald. Hilligerus (qui cauſſam Triboniani ex profeſſo defendendam ſuſcepit) *in Donell. enucleat. praefat. ad Lectorem: ut & lib. 1. c. 1. lit. I. lib. 8. c. 11. lit. M. ac vid. Indicem in fin. Addatur etiam Hunnius, d. Interpr. 2. c. 2. quaeſt. 4.* Equidem non iureconſulti; ſed hiſtorici & critici ſeu Grammatici eſt, Jus uſu obſoletum, à noſtriſque moribus maxumè alienum, ita ſollicitè indagare. (1) Sanè Iuſtinianus, Leges ad temporis & Reipublicae rationem qualis tum erat, voluit ac-

B com-

commodari: *§.3.d.novo Cod.faciend.§.7.de concept.ff.* nonnulla ideoque quòd interpolavit, id sine crimine falsi fecit Tribonianus. *Donell.8.com.2.fac.const.d.conf.ff ad omn. Pop. in prin.* Quique hàc in parte Iustinianum reprehendit, Nomotheticen planè se ignorare prodit. *argum.trad.ab Aristot.3.polit.c.7. in fin. & libr.4.cap.1.in fin.* (2) Iustiniani Tribonianiq; prudentiam, Constitutiones, illo auctore, hoc suasore promulgatæ (sapientissimæ pleræque) evincunt abundè. (3) Ac si ex omnibus octonis, quod ajunt, haut construxit opus; omne ei protinùs, non nisi maledicus, judicium adimet & eruditionem: etenim ut nihil ex omni parte beatum; ita nihil est undique perfectum. *arg §.14.d.conf.ff.ad omn.Populos.*

12. Justinianum quovis ἀναλφαβήτῳ fuisse imperitiorem, falsissimum est probrum. Nam is *in §.6.d.confirmat.Instit ut.* affirmat; Imperiales Institutiones, sibi per Compilatores oblatas fuisse, quas ipse legerit & recognoverit. Seq; semper investigâsse & perscrutâsse Digesta, cùm componebantur, scribit *in pr. Constitutionis d.cõfirm ff.ad om.Pop.* Quod certè si nec legere potuisset, nunquàm asserere ausus fuisset: mendacio namq; hoc impudentissimo, famam suam omnibus prostituisset. Ita ut mirum sit, Laur. Vallam, *6.elegant.36.* & Antonium Fabrum, *Præfat. in Rational. 1. part. ff.* studio Imperatorem nostrum calumniandi eò fuisse adactos; ut Suidæ Rhapsodiæ, iis sint contra Justinianum velut ex Jovis tabulis, quod ajunt, testis. *Adde Philipp. Hœnonium disp. ad Inst. 1. thes.2.*

Suidas, qui Imperatorem nostrum ἀμαθίας accusat, virtutes ejus insignes posteris deprædicat alias. Eum rectissimè de Religione sensisse refert; auxisseque de se opinionem Justini Imperatoris, à quo gravitatis & exquisitæ diligentię laus ipsi fuerit tributa. Quem eundem tamen in multiplicia crimina vocant nonnulli. Hoc ei vitio dat Zonaras, *Annal.tom.3.* quòd pecuniam & temerè profuderit, & per fas ac nefas comparârit, annua tributa exaggerando. Id quod tamen ille mihi vix persuadet; cùm multis in locis nostri Juris, præciderit compendia Fisci: bona enim damnatorum heredibus reliquit, caducorum commoda Ærario ademit & in Novell.*28. cap. 4. §. 2.* turpia lucra bonum Principem non admittere, dicit. Evagrius, *4.hist.Ecclesiast.cap.29.* refert: Quòd

tam:

tam largus fuerit in pecuniâ erogandâ, ut multa sancta & magnifica Templa, in multis extrueret locis, aliaque ædificia sacra; quibus tum viri tum mulieres, & ætate tenerâ & exactâ, tum qui variis morbis vexabantur, sedulò curarentur. Quæ inquit, sanè pia, Deoque accepta essent, si modo ille vel alii qui talia moliuntur, de suis ipsorum bonis efficienda curarent; suæque vitæ actiones, vacuas à sceleris labe, tanquàm hostiam Deo offerrent &c. Ille quoque idem scriptor, historiam Justiniani, hoc Epilogo finit, ac *sub init. lib. 5.* ita scribit: Justinianus igitur, cùm omnia omninò turbâ ac sceleribus complevisset, mercedemque his debitam, in extremo vitæ suæ tempore reportâsset, ad supplicia justo Dei judicio apud inferos luenda est profectus. *addatur Historia Eccles. Magdeburg. cent. 6. cap. 3. fol. 51. & 845.*

At verò hæc omnia cōfutari possunt, iis quæ scribit Agapetus, *in Schedâ Regiâ*, ubi cap. 3. ait: Inaccessus es quidem hominibus propter sublimitatem terreni Regni; accessu autem facilem te præbes iis, qui opis tuæ indigi sunt, propter potentiam potestatis cœlestis. Aperis aureis iis benignas, qui à paupertate circumsidentur; ut invenias aurem Dei apertam. Capite 17. In vobis, inquit, reipsâ est præstitum, & effulsit illud felicis vitæ tempus, quod fore ex veteribus quidam prædixit, cùm aut Philosophi regnaturi essent, vel Reges Philosophaturi: etenim cùm sapientiæ dediti essetis, Regno digni estis judicati. Capite 18. Ex veritate te nuncupo Imperatorem; ut qui voluptatibus dominari possis. *His similia plura habentur ibid. c. 20. 34. & 49.* Cui testi Imperatoris nostri coætaneo, & in conspectu totius orbis hæc asserenti; quis fidem audeat denegare? *Ac videri quoque potest Giphanius, in comment. de Imperatore Iustiniano.*

Simili credulitate Zonaras & Ægid. Perrinus errârunt, qui Justinum Imperatorem, Boum & Porcorum pastioni deditum fuisse asseverant. *v. Erich. Beringeri discurs. historico-polit. sect. 1. f. 22 &c.*

13. Sed num Tribonianus gentilis, atheus, legivendulus fuit? Nego cum Radulph. Fornerio. 4. *rerum quotid. cap. 17* Justo Mejero, *disp. ex lib. 1. ff. thes. 3.* & Conr. Rittersh. *in proœm. exposit. Novell. cap. 2.*

De eo ita scribit Suidas: Tribonianus gentilis fuit & impius, omnibus modis à Christianâ Religione alienus, adulator & impostor;

postor;

poſtor; qui perſuadere conabatur Imperatori, eum non moriturum. Et paulò pòſt: Hic & ingenii facultate utebatur, & ad ſummam pervenerat eruditionem; nemine ſuæ ætatis inferior. Pecuniæ ad miraculum avidus, Jus pretio vendere ſolitus; & Legum dies alios plerunque tollebat, alios ſcribebat, pro cujusque neceſſitate accepto pretio. Eo in honore cùm annos multos vixiſſet, morbo deceſſit; nihil injucundi à quoquàm perpeſſus. Nam & facundus erat, & cætera ſuavis, & avaritiæ morbum amplitudine doctrinæ ſolertiſſimè occultabat, &c. Procopius *1. de Bello Perſic.* Virum eum fuiſſe dicit, moribus & artium omnium diſciplinâ, nulli ſecundum: ſingulis diebus Leges aliquas aut antiquâſſe, aut conceſſiſſe, ut ex uſu eſſe videbat. Ingenio ita miti & manſueto, ut nihil à quoquàm ingratiis ſit paſſus: iisque moribus, ac doctrinâ ſingulari, unicum avaritię morbum obſcurâſſe. *Adde Heſychium Catal. illuſtr. viror. Harmenopul. 5. d. Legib. t. 1. & Colerii parerg. c. 17. Gothofr. ad Nov. 159. c. 2 lit. b* (1) Certè ſi Paganus fuiſſet, ſummos in Republicâ honores non ei credidiſſet Juſtinianus: voluit enim Hæreticis, nihil ex moribus, nihil ex Legibus cum cæteris commune eſſe debere; *l. 4. C. de hæret.* & Græcis ſeu Paganis, & Judæis, & Samaritanis, Magiſtratum gerere & dignitatem habere, aut jus dicere prohibuit expreſsè. *l. 12. §. reliqui. C. d. t.* Juſtinianus Imperator amantiſſimus noſtrę Religionis, non hunc Ethnicum ita extuliſſet. Non eum virum glorioſiſſimum; *l. 4. verſ. conſtitutio. C. de lib. præterit.* excellentiſſimum; *§. 12. Inſtit. d. Fideicom. hæredit.* magnificum, nominaret: *§. 1. de novo Cod. fac. §. 2. d. Juſtin. Cod. confirm.* non ejus miniſterium optimum & ſincerum; *§. 3. d. concept. ff.* ejus ſolertem Legum ſcientiam, & circa juſſiones fidem ita ſollicitè deprædicaret *§. 3. d. confirm. ff. cum ſimil.* (2) Non credibile eſt, impium & à Chriſtianâ Religione procul ſegregatum, tam pias, tam Catholicas Leges divulgâſſe: non ille ipſas Leges adverſus Paganos armâſſet. *tot tit. C. ne Chriſtianum mancip. &c. tot. tit. C. d. Paganis.* Quis ergò, quos in uno tenemus mendacii manifeſtos, fidem (Suidæ & complicibus) in reliquis habebit?

Colerus pro ſuâ opinatione, adhuc aliud adducit argumentum: & nempè deteſtandæ impietatis ac adulationis indicium eſſe ait; toties Imperatorem ſacratiſſimum indigitare, & Aulam plenam facere Oraculorum. At verò hoc non poteſt Triboniano

eſſe

eſſe fraudi: nec eo eripitur Deo quod ipſius proprium eſt; ut colligit Bodinus. *1.d R.c.ult.nu.173.& 2.c.6.nu.225.* Nam & in Sacroſanctis Litteris, Dii vocantur Magiſtratus. *Pſalm.* 81. Id nempè fit, ut Principes officii ſui admoneantur: ſe nimirùm Dei miniſtros eſſe, Deiq. juſtitiam & beneficentiam imitari debere. *VVaremund d.ſubſid.c.8.f.116.&c.Bornit.d.Majeſt.c.4.fol.19.Iohan.Camman. Colleg.Iurid.pol.diſp.1.theſ.25.& dixi ego Colleg.polit diſp.2.theſ.10.& ſeqq.Claſſ.1.* Sicque & Juſtinianus, ſe ultimum Dei ſervum profitetur: *l. in prin C.de offic.Præf.Præt.Afric.* & paſſim Imperium ſuum Deo fert acceptum. *Nov.28.cap.4.in fin.*

14. Auctoribus omnis generis, injuriâ vel incuriâ tranſcriptorum variè depravatis (dum nempè manus quælibet vitia ſua addit) ope vetuſtiſſimorum exemplarium, ſalubrem haut rarenter adferri medicinam, nemo qui Criticorum vel per tranſennam inſpexit ſcripta, negabit. Quamvis emendationem contra exemplarium fidem temerariã, cordati quiq;, tanquàm auſpicium malum deteſtentur. *v. Hilliger.ad Donell. 8. com. 11. lit.L.* Nunc ergò, an Florentinarum Pandectarum lectio, ſemper debeat eſſe Sacroſancta; nec contra eam unquàm, vulgata, vel quæ Norica & Haloandri dicitur, ſit approbanda? lubet indagare.

Pandectæ hæ (majuſculis characteribus, nullisque dictionum intervallis, & prorſus abſque diſtinctionibus perſcriptæ. *Alberic.Gent.de libr.Iur.Civ.cap.3.& 4.*) Conſtantinopoli primùm Malfas, dein Piſas ſunt allatæ; undè & Malfitanæ, item Piſanæ à nonnullis indigitantur: in Florentinorum poſteà venerunt poteſtatem, unà cum urbe Piſarum. Florentiæ adhùc hodiè aſſervantur, duobus diſtinctæ tomis, in holoſerico rubro ligatæ, & clauiulis argenteis exornatæ: ibidemque Anno 1553. primùm prælo vulgatæ, Europæque communicatæ fuerunt.

Has verò non Juſtiniani Archetypum, nec ejus Imperatoris ætate ſcriptas eſſe; contra Angelum Politianum, *miſcellan.cap.41.* perſuadent mihi Alciatus, *2.diſpunct.12.* & Albericus Gentil. *d. libr. Iuris civil.cap.2.fol.19* Habent enim Lacunas, quæ ex libris Baſilicωn (ſeu ff. ũ in Græcã linguam κατὰ πόδας verſione) ſuppleri poſſunt, & aliis vitiis laborant, *Cont.1 diſp.c.5.6.& 7.& Idem 2.lect.3.n.1*

 Ergo

Ergò tum demùm nefas eſt, à Florentinâ recedere ſcripturâ; ſi ex vulgatâ lectione, Florentinæ contrariâ, abſurdi quid, vel durum vel irrationabile prodiret. *Gœdde. de verb. ſign. ad rubr. n. 31. Duaren. 2. diſput. 9. & 15. Hunnius de Interpr. libr. 2. c. 2. quæſt. 5.*

Florentini Codicis auctoritatem extollit (1) Veterum noſtrorum Interpretum exemplum, qui in ſuis concertationibus, ad illud, tanquàm ad ſacram, quod ajunt, Anchoram confugerunt. *Gœdde. d. loc. n. 26. Alberic. Gentii de libr. Iur. Civil. cap. 2 ad fin.* (2) Poſt Antonium Auguſtinum & Taurellum, Contius *1. diſputat. Iur. 6.* (ſibi contrarius, *epiſt. ad lect. Pandect. præfixâ*) & Alberic. Gentilis. *d. cap. 2. ad fin.* putant; omnia quæ ubique, ſeu manu ſeu typo ſcripta extant Digeſta, ex Florentinis primitùs dimanâſſe; eò quòd tres ùltimæ illius exemplaris chartæ, incuriâ Ligatoris tranſpoſitæ inveniantur; exindeq; omnes, tam calamo quàm typis deſcripti libri, inordinata habeant capita tituli poſtremi. Quod ſi eſt, non certè plus valere debet exemplum, quàm originale. *argum. notat. ad c. 15. extr. d. fid. inſtrument.* Verùm his Cujacius contradicit: *2. obſervat. cap. 1.* & argumentum Taurelli ac aſſeclarum (utpotè in facto conſiſtens) æquè facilè negatur ac aſſeritur. Sunt enim qui dicant, rectum eum eſſe ordinem tituli illius capitum, qui hactenus retentus fuit: ac ſi non ſit rectus, reperiri exemplaria poſſe, quæ non habeant eam tranſpoſitionem. Interim tamen (quod Contius conqueritur *1. lect. 1.*) malè fit, ut certatim quò quiſq; ſibi doctior videtur, Florentinam lectionem magis oppugnet.

15. Rubricæ nomen apud Jureconſultos, non Barbarum aut novitium eſt, ut putavit Vaconius à Vacunâ: *declarat. Jur. civil. cap. 65. à prin.* ſed jam indè à Sulpitiis & Scævolis uſitatum. Rubrica terrâ rubra eſt; de quâ Dioſcorid. *5. cap. 71. & 72.* Plinius, *hiſt. nat. 35. cap. 6.* Hâc, ut & minio, interdùm librorum indices, id eſt titulos, ſcripſerunt Jureconſulti. Undè Juvenalis;

———Perlege rubras
Majorum Leges.———

Et Perſius:

Excepto ſi quid Maſuri rubrica vetavit.

ubi Maſurium Sabinum intelligit, cujus crebra mentio in Digeſtis. Sic Quintilianus, *12. Inſtit. Orator. cap. 3.* Quorum alii ſe ad Al-

ad Album ac Rubricas transtulerunt: Album innuens Prætoris, & rubricâ insignitos Jureconsultorum libros. Ac meminit quoq; Jurisconsultus Paulus, rubricæ unde vi, *in l. 2. §. 3. ff. de Interdict.*

Nec ergò assentiendum est eruditissimo Turnebo; qui veteres non in privato, sed publico saltem, legitimoque jure, Rubricas posuisse putavit. *4. adversar. cap. 5.* Quem lapsum notavit post Prætejum Calvinus, *in Lexic. Iur.* & refellit satis, jam modò laudata Lex 2. d. interdict.

Magis obscura est Rubricarum caussa & origo: de quibus diversi, diversa tradunt. Reinaldus Corsus, *2. indagat. Iur. 2.* id factum fuisse ait, in Phænicum honorem, quos litterarum perhibent inventores: esse enim colorem Phænicium flagrantem, & uti viola flammea micantem. Sed hæc conjectura leviuscula videtur. Et quoque nec ornatus gratiâ, ac ut Tituli inventu sint faciliores, factum hoc fuit: sic enim Rubrica non propria esset Jureconsultorum. Magis probabile puto, Rubricâ in scribendis Legum titulis, propterea olim usos fuisse Jureconsultos; ut sanguineum quiddam ac horrendum, non parentibus minari viderentur: *vid. Christ. Colerum. parerg. cap. 37. Eilhard. Lubinum, ad Persium, Satyr. 5.* proximus etenim est sanguineo, rubricæ color. Unde Prudentius, *2. contra Symmach.*

——dicant cur condita sit Lex
Bis sex in tabulis, aut cur Rubrica minetur.
Quæ prohibet peccare reos.——

Quandò verò ad caussarum decisiones adduci possint Rubricæ, alterius est quæstionis: & de eà (distinguendo inter illas quæ sunt perfectæ & imperfectæ orationis) tractat Speckhan. *cent. 1. quæst. 92. & videatur etiam Eachinæus, 1. controv. cap. 67. & 68.*

16. Jura cognoscendi Methodum, quam pro Imperio præscripsit Justinianus; *d. rat. jur. doc. ad Antecess* nostris moribus, & Jurisprudentiæ, prout nunc est, accommoda non videtur: *ut attigi in Templ. Justit. n. 77. contra Contin. 1 sub fin. c. 11.* Quinquennium tamen studio Juris à Justiniano præfinitum, ad gradum Doctoratus, vel in numerum Advocatorum, ut quis possit recipi, adhuc rectè exigitur. *§. 1. de ration. doc. l. 3. §. 4. 5. l. 5 §. 4. & 5. C. d. advoc. div. jud. Vid. tamen* **F. W. Hoffgerichts Ord.** *part. 1. tit. 7. in princ.*

Quiæ

Quia hodiè Juris civilis cognitio, minùs ac olim in proclivi est; propter antiquitatis obscuritatem, Jurisque Can. Feudalis & Recessuum Imperii accessionem. *Cujac.12.observ.c ult. Forst. exercit.1. thes. 16.* Quamvis non sine ratione Philosophiæ Magister, aliis anno citiùs, ad Doctoream adspirare possit Dignitatem.*ut dixi supra d.tract.num.30.ad fin.*

17. Per λύτας, eos putamus Juris studiosos innuere Justinianũ,*d.const.ad Antecess.§.5.& 6.* tales qui progressus fecerunt,

Ut Juris nodos legumq; ænigmata solvant.

Prolytas, quasi præsolutores; quod & Lytis antecellant. *Turneb.8.advers.19.*

Fallunt, qui λύτας solutos interpretantur: sic enim λυτοί, dici debuissent.*vid.Calvin.Lex.v.Lytæ, Prolytæ.* Malè vulgata editio Hircos legit *Politian. miscellan.93.* perperàm Kircos, vel Lynceos restituit L. Johan. Scoppa, *co: ect.Syllog.ult.cap.ult.*

18. Annè verò Christianis, Ethnicorum Legibus uti licet? Affirmamus cum Dominico Arumæo. *exercit. Justin.* 1. *thes.* 1. Hœnnonio, *disputat.ad Instit.1. thes.1.b.* Henric. Velstenio, *centur quæst.polit.dec. 6.thes.3.* Hunnio *de interp.2.cap.1.quæst.5.*

Nota est plerorumque Jureconsultorum, ex quorum responsis compositæ sunt Pandectæ, in Deum verum impietas; & summa Imperatorum nonnullorum, quorum ex rescriptis Codex est compilatus, crudelitas adhibita in Christianos. Ipse Ulpianus rescripta Principum nefaria collegit, ut doceret quibus pœnis affici oporteret eos, qui se cultores Dei confiterentur. *Lactant. 5. divinar.Instit.cap.11. Eberlin. de origin. Iur. cap. 52. num. 9.* Nec scio an præter Q. Septimium Florentem Tertullianum, qui Juris Romani peritissimus fuit, & cujus etiam de Religione Christianâ complures extant libri, ullus alius agnoverit Christum. *Eberlinus d.tractat. cap.51. num. 7. Radulph. Forner. 6. rerum quotid.cap.5.* Quidni ergò Mosaicam potiùs in Judiciis & Republicâ administrandâ observamus Legislationem? ut Carolstadius olim, & alii voluerunt.

(1) Sed nec eandem propter caussam Aristotelis rejicimus Philosophiam, artesq; alias ab Ethnicis inventas. Et Justinianus omnia nunc sua fecit, ac quantùm fieri potuit, sustulit impia quæque ac scandalosa. (2) Est quoque Lex Moysis politica, moribus nostris, ac Rei-

ac Reipublicæ ſtatuiq; minùs quàm Juſtinianica conformis, & à Deo, ut modo humano ſit, lata. *arg. Matth. 19. verſ. 8. Lambert. Danæ. polit. Chriſtian. 5. cap. 2. fol. 335. Franciſc. Iunius, tract. d. politia Moſaic. obſervat. cap. 2 theſ. 11. & 12. Zepper. explic. Legum Moſaic. per diſcurſum. Henric. Eckhard. d. ord. Eccleſiaſt. & polit. part. 3. quæſt. 2. Andr Gerhard. exercit. Iuſtin. dec. 1. theſ. 2. Chriſtian. Matthias, Colleg. Polit. 2. diſput. 4. theſ. 2. & dixi diſput. Polit. 2. theſ. 34. claſſ. 2.* Idque hiſce verbis doctè explicat Calvinus, *4. Inſtit. cap. 20. ſect. 16.* Quòd jactatur à quibuſdam, contumeliam fieri Legi Dei per Moſen latæ, cùm illâ abrogatâ novæ aliæ præferuntur, vaniſſimum eſt. Neque enim aliæ illi præferuntur, dum magis probantur; non ſimplici collatione, ſed temporum, loci, gentis conditione: aut illa abrogatur, quæ nobis lata nunquàm fuit. Siquidem non eam Dominus per manum Moſis tradidit, quæ in gentes omnes promulgaretur, & ubique vigeret, &c. Idemque teſtatur, *ſect. 15.* ajens; Singulis gentibus relictam eſſe libertatem condendi Leges, quas ſibi conducere providerint: quæ tamen ad perpetuam charitatem exigantur.

19. In politicis controverſiis dijudicandis, ſemper etiam reſpicienda eſt Theologia. *Henric. Velſtenius, cent. quæſt. polit. 1. theſ. 7.*

Lucerna pedibus noſtris, eſt Domini verbum, & lumen ſemitis noſtris: *Pſalm. 119. verſ. 105.* omnibus ideoque eſt enitendum, verum illud lumen prævium habeant, in quibuſcunq viis ſuis. Et quæ ſunt principia probandi in Theologiâ; ea ſuntquoque, reſpectu Philoſophiæ, principia emendandi, illuſtrandi & complendi. *Keckerm. 1. præcogn. Philoſ. cap. penult. fol. 104. &c. & v. eund. in præcogn. Ethic. can. 10.* Sicque quòd noſtri Doctores, inter forum fori, & forum poli diſtinguunt, & legibus interdum vincunt, qui in conſcientiâ non ſunt tuti; non hoc à Juriſprudentiâ ſegregat, ſed magè neceſſitatem evincit Theologiæ: ut quæ externæ pœnæ non efficit metus, futuri terror Judicii, conſcientiæque oculatiſſimus prohibeat tortor. Et hinc mihi non diſplicet Pontificiorum inſtitutum, qui ſingularem quaſi conſtituūt diſciplinam, de caſibus conſcientiæ diſquirentem. Inibi autem particulatim inveſtigant, quatenus illæſâ conſcientiâ, profeſſioneque Chriſtianâ ſalvâ, Legibus civilibus, aliiſque rebus externis uti queamus. Id quod primarius olim erat Juris Canonici finis.

20. Non invocationem Numinis Divini, non signi venerabilis, neque nominis Imperatorii præpositionem; ita de formâ Instrumenti esse reputamus, ut eorum omissio, probationis ei adimat robur. Quâ de quæstione, sententiæ sunt discrepantes interpretum nostrorum. Affirmant Waltherus. 2.*miscellan.* 1. Rad. Fornerius, 6.*rerum quotid.cap.*1.Johan.Stuckius,*exercit.* 1. *assert.* 1.Negant Covarruv.*pract.quæst.*20.*nu.*1. Soarez. *in com. opin.Lit.I.num.*114.*&c.* Compilator præjudic. Cameral. *verbo Instrumenta.* Hœnnon. *disputat.ad Instit.*1.*thes.*3. Val. Guil. Forster.*tractat. Justin.*1.*thes.*2.*&c.*& remissivè Græxæus. 2.*conclus.* 14.*in coron.solemnit.*1.*&* 5.

Refragari videntur *Lex* 22.*ad fin. Cod. de Iur.deliber. Novella.* 47. *cap.*1. & maxumè Constitutio Maxæmiliani, I. de Anno 1512. Von Verrichtung der offnen Notarien. §. Und nach dem. Et pertinet huc, quod Plinius ait, *initio paneg. quem Trajano dixit:* Benè ac sapienter à majoribus institutum esse, ut omnium rerum initium à precationibus sumeretur: quòd nihil ritè, nihilque providenter homines sine Deorum immortalium ope, consilio, honore auspicarentur.

Sed (1) ad substantiam Instrumenti, necessariò tantùm ea requiruntur, undè rei veritas aut falsitas deprehendi facilè possit. (2) Levis, & minimi præjudicii quæ est sollemnitas, omitti potest. *L.*1.*§. ultim.de ventr. inspic. ubi Gothofred. & Dd.Hieron. Cevallos, opin. commun. contra commun. tom.*3.*quæst.* 749. (3) Accedit quòd probationes sunt ampliandæ. *L.*22.*ff.de testib.* nec ideò novæ formulæ quæ instrumenta infirment, induci debent: & multa cautionis exquisitioris, non necessitatis causâ, inibi requiruntur. *argum.Novell* 73.*cap.*1.*ad fin.* Multa quoque fieri debent; quæ tamen omissa non reddunt actum nullum.

Lex 1. *tit.* 1. *Lib.* 1. *ff.*

IUS à Justitiâ appellatum esse, cum Ulpiano, *in hâc l. in princ.* censemus. Eoque intuitu, titulus primus Pandectarum & Institutionum, de Justitiâ & jure; non de Jure & Justitia inscribi videtur. *Borcholt, ad rub. Inst, de Just, & jur.*

Furtem

Funem hic contentionis ducere, videntur nostri Doctores; ità tantoperè de etymo, Juris quod habeat vocabulum, inter se dissentientes reperiuntur. Fr. Connanus, *1. com. 2. num. 4.* Jus ità nominari ait, quòd sit juxtà: id est par & æquale. Vaconius à Vacunâ, *declarat. 71. num. 1. & declar. 77. num 6.* Jus per apocopen dici putat; quasi Justũ: *arg. can. Ius, dist. 1.* nō secùs ac ut Imperativos dic, fac; pro dice, face, usurpamus. Alciato *1. paradox. 29.* Ius per metathesin vocatur, quasi vis: quod vim quandam cogendi in se habere videatur. *argum. Novell. 30. cap. 9. §. 1.* Galeottus Martius *d. doctrinâ promiscuâ, cap 28.* Jus à juvando derivat: cùm quippè Jus, tam ad pulmentaria, quàm Leges referatur. Sicut ergò corpus nostrum, jure seu jusculo nutritur: ita & Civitates, quæ ut corpus coaluerunt; Legibus tanquàm jure quodam, ali atque juvari. Christianus Becman. *in orig. in verb. Iujurandum.* Jus, inquit, contractè dicitur, quasi os Jovis: à Jure porrò esse justum jussum, &c. Frequentius à jubendo descendere censent. *post Fest. Pompejum, Hieron. Magius, 4. miscell. 1. Iac. Curtius, conjectur. tom. 1. lib. 1. cap. 1. Donell. 1. com. 4. Treutl. disp. 1. thes. 3. ad fin. ibique Bachovius. Arumæus, exercit. 1. thes. 4. Sagittarius, illustr. quæst. 1.* Sed hæ & similes derivationes (quarum adhùc alias refert Forsterus, *exercit. Iustin. 1. th. 17.*) veræ non sunt etymologiæ, sed potiùs allusiones; cujusmodi unius vocis possunt esse plures. *argum. l. 1. §. 1. d. testam. milit.*

Verisimile magis est; Grammaticâ, quæ litteras numerat, notatione, Ius primitivum esse, à nulloque deductum nomen: quo intuitu Justitia, à Jure descendit: *Novell. 69. in prin.* productio enim illa (tia) vocem esse ab aliâ, jure nempè vel justo deflexam, arguit; ut amicitia ab amore, inimicitia ab inimico, modestia à modo, &c. *Priscianus libr. 4. sub finem.* quod mihi probabilius videtur, quàm si Justitiam à jure & sistendo, sive à genitivo justi deducamus. *v. c. forus. 10. extr. d. verb. signif. Calvin. in Lex. Iur. verb. Iustitia.*

Hæc verò sententia Ulpiani, cùm suo modo verissima sit, non effugere tamen potuit is ferulam Laurent. Vallæ; qui hìc in Grammaticos illum impingere terminos clamat. Ac obstat prætereà & illud Ulpiano: quòd notitiæ habitu sunt priores. Jus ergò, cùm à primâ creatione hominum animis infusa notitia sit; Justitiâ omninò prior erit. A Grammaticorum ideò sat rigidâ censurâ, ut liberarent nostrum ICtum; varii varia sunt commenti. Aliâ ipsi viâ

Rævardus: *1 variar. 2.* aliâ Anton. Faber, *in rational. hic. & 1. Iurisprud. Papinian. tit. 1. princ. 1.* aliâ Vaconius à Vacunâ. *declar. 31. num. 5.* subsidio venit. Jus cùm pro Juris arte impropriè ponitur; à Justitiâ (tanquàm artis illius objecto) denominationem capere volunt Vultejus, *Inst. d. Iustit & Iur. in princ.* Rain. Corsus, *1. indag. 11.* Bronchorst ἐναντιοφ. *1. assert. 1.* Treutlerus, *disputat. 1. thes. 1. ad fin.* Arumæus. *exercit. 1. thes. 5.* Phil. Hœnnonius, *disput. Instit. 1. thes. 4.* Forsterus, *exercit. 1. thes. 17.* Cramerus, *disput. Instit. 1 thes. 6.* Olemannus, *in Antinom. Giphanii. themate 2. & disput. 1. thes. 1. ac. 2.* non cùm propriè usurpatur, pro bono illo & æquo, Naturæque formulâ, nobis in primâ creatione insculptâ. Et verò Ulpianum hìc de Juris arte loqui, exindè conjecturam captant; quia is statim, Jus (quòd à Justitiâ appellatum dixerat) artem boni & æqui definit: & ità nominis descriptioni, ipsius rei definitionem subjungere videatur.

Ego (1) duplicem reperio indolem conjugatorum, originisque vocabulorum indagationem: Grammaticorum unam, alteram Philosophorum; & quidē maxumè Stoicorum. *Cortius, 2. lect. cap. 6. Gruterus ad Senec. Epist. 81.* Hic vocis quâ vox; ille rerum inquirit naturam. Sicque aliud notatio Logica, aliud Grammatica est. Et multa pro conjugatis Dialecticus agnoscit, quæ non conveniunt similitudine vocabulorum: cùm *Zachar. Vietor, dissert. Topic. 11. nu. 9. &c. nu. 46. &c.* Grammatistarum proindè tricæ (quibus reales disciplinæ non sunt subjectæ) nil hìc nobis negotii facessere queunt. (2) Non Ulpianum nunc Justitiam pro habitu (*quemadmodùm in l. 10. hoc tit.*) sed pro fonte omnis boni & recti sumere puto. Quam Ideis Platonici annumerârunt; ad cujus exemplar Jus factum, ab eaque descendisse reputârunt: cujus imaginem, signanter apud Agellium, *lib. 14. cap. 4.* depingit Chrysippus Stoicorum Princeps: & cujus intuitu, mox ab Ulpiano, Sacerdotes indigitantur Jureconsulti: *hâc l. n. §. 1.* quasi sacra illius Deæ administrantes. *Colerus, parerg. cap. 29.* Ejusmodi etenim Divinas emanationes, Deos & Numina indigitavêre Gentiles. *Cornel. Agrippa. 3. occult. Philosoph. cap. 10.* Ab hâcque naturali, seu Divinâ & æternâ Justitiâ, omne quodcunque est Jus emanare; scintillulas æquitatis nostris animis agnatas, à simplicissimâ illâ essentiâ provenire: hanc, cùm Jus formet & informet, meritò & Jus, Jurisque nomen adinve-

adinveniſſe; & ità Iure (inproprio quoque ſignificatu ſumpto) priorem eſſe, firmiter aſſerere debemus. *Alb.Bolognit.tract.de Lege, Iure & æquitat.cap.14.Donel.comment.1.cap.4.Charondas,1.veriſimil.1. à princ.Frider.Tileman.diſputat.ff.1.theſ.4.volum. 1. Marc. Lyclama, 7. membran.Eclog.39.Hænnon.ſuprà laudato loco.Iohan.Calvin.in Lexico, verſ. Ius Vlpianus,&c.* Hoc namque ſenſu, Ius eſt à Iuſtitiâ dictum, antequàm vel nomen uſurparetur. Quæ item opinio, conſona eſt noſtræ Religioni: omne quippè Ius eſt à Deo; qui Iuſtitia ipſa, quique animis hominum impreſſit Iuris, ſivè æquitatis inveniendæ facultatem. *Proverb.8.verſ.14.& ſeq.* Ac tandem, Abſtracta ſimplices eſſe concretorum formas, in eo omnes Sophi conſpirant, *Vietor.diſſert.Topic.11.nu.28.* Nec quòd definitio Iuris pro arte ſumpti, extemplo ſubjungitur huic notationi; ideò de arte Iuris ſolummodò dici poteſt, quòd à Iuſtitiâ deſcendat: ut ritè monſtrat Donellus *1.com. 4.*

2. Et Jus ideò in rei veritate, & naturâ; non in opinione tantùm conſiſtit. *Bolognet.d.Lege, Jure & æquitat.cap.9. Talenton. Theſaur. rerum reconditar. 1. cap. 15. Benedict. VVinckler. 5. princip. Jur.cap.15. Frid. Tileman.diſputat.pandect.1.th. 6. & 7. Aruma.exercit.1.th.3.Andr.Gerhardi, diſput. ad Inſtit. decad. 1. theſ.3.Matth.Stephani,diſput. Inſtit. 1. theſ.1. Juſtus Mejerus, diſput.ex libr.1.ff.theſ.6.*

(1) Legum conditores id præſertim agunt, vel ſaltem profitentur omnes; ut quas condunt Leges, honeſtati & naturali rationi, ſint quàm maxumè concordes. *5.Ethic.cap.1.* (2) Ex ipsâ Naturâ, magnam partem erutum eſt Ius noſtrum. Idque paſſim innuunt Iuris noſtri conditores: utpotè cùm rationem naturalem, quaſi Legem quandam tacitam adducunt; *l.7.in princ.de bonis damnat.* cùm Naturæ votum allegant; *l.7.in fin. unde liberi.* cùm ajunt, hoc æquum eſt Naturâ; *l.14.de condict.indeb.* nihil eſt tam naturale; *l.35.* naturali ratione res eſt temperanda, *l. 85. §. 2.* æquum eſt Iure Naturæ; *l.206.de Regul Iur.* & alia ſimilia ſexcenta. *v. Alber. Gentil.1. de Iure Belli. cap.1.f.14.* Nec cuiquam obſcurum eſſe poteſt, Prætores in ſuis Edictis, id cùm primis operam dediſſe, ut rationem naturalem, æquitatemque tuerentur. *l.1.in princ. d. pactis. l. 1. in princ. de conſtit.pecun.*

Sed his obstare videtur, quòd Carneades olim, teste Lactantio, *5. divinar. Institut. 17.* contra hæc inferebat: Iura sibi homines pro utilitate sanxisse; scilicet varia pro moribus, & apud eosdem pro temporibus sæpè mutata. Naturale autem Ius esse nullum. Quodque apud Platonem Thrasymachus, *1. de Republ.* & Callicles, *in Gorgiâ*, Iustum esse definiverunt; quod utile est potentiori: & subditos tunc agere justè, cùm illis Legibus parent, quæ sunt ad utilitatem gubernantium constitutæ. (2) Obsistunt gentium ritus & mores, totidem penè, quot sunt hominum cœtus. *Franciscus Picus. 1. examinis veritat. doctrina gentium, c. 19.* Adeò ut Populi reperirentur, quibus maxumè sollemne, justumque connubium habebatur, quod cum propiùs conjunctis, matribus sororibusq; contractum esset. *Tiraquell. Leg. connub. 7. nu. 38. 40.* At verò quæ Naturâ ipsâ consistunt, ubique locorum omnibusque eadem esse cernuntur: non magis enim ignis urit Græcos, quàm apud Indos; non minùs nobis quàm Hispanis benè olentium odor est suavis. (3) Et quoque nostram sententiam impedire videtur, quòd non omnium quæ à majoribus sunt instituta, ratio reddi potest: *l. 20. de Legib.* quòd Legem facit Principis voluntas: *l. 1. d. Constit. Princip.* & quòd perquàm dura Lex servari debet. *l. 12. §. 1. ff. qui & à quibus manumissi.* Quæ sanè singula dici nequirent, si Naturâ non opinione Ius constaret.

Quæ omnia, non obstaculi quicquàm injiciunt ei, ratione qui perceptum habet (1) Quòd ut in theoreticis disciplinis, multifara certamina disputationum, ipsi nil detrahunt veritati; sic nec Populorum quorundam flagitia, Legibus permissa vel præcepta, haut ullum Iuris certitudini periculum creant: indeq; opportunè Theophilus monet, Jus gentium esse illud, quod extenditur ad homines omnes, aut ad eos qui secundum rationem vivere student. (2) Quòd Jus certum, & Naturâ etiam immotum, ad hypothesin cùm transfertur, variisque casibus, & Reipublicæ statui cùm accommodatur, variationem necessariò admittit. Cùm enim humani generis conditio, perfecta & stabilis non sit; *Novell. 74. in princ.* & diversi eventus, diversa consilia gignant, *l. 1. in princ. d. ventr. inspic.* sæpèque pro caussis & personis variè sit statuendum: *l. ultim. d. obligat. & action.* & porrò facilè fieri queat, ut circa hanc ipsam Juris ad circumstantias accõmodationem (quippè ea

pè ea ratiocinatione, non simplici ratione perfici solet) variæ variorum sententiæ existant. Minimè ideò ista mutatio, Juris firmitati aliquid decerpere potest. Pariter ut in omnium certissimâ disciplinâ, Vetus & Novum Testamentum non verè pugnant. *cap. 8. extr. de consang. & affinit.* & Medicina, non proindè subsistit in opinione; licet remedia adtemperentur pro ægri complexione, & diversi diversas præscribant cautiones. Idque elegantissimis hisce verbis Agellius docet: *lib. 20. cap. 1.* Legum, ait, opportunitates & medelæ, pro temporum moribus, & pro Rerumpublicarum generibus, ac pro utilitatum præsentium rationibus, proque vitiorum, quibus medendum est fervoribus, mutari atque flecti, neque uno consistere statu; quin, ut facies cœli, & maris, ita rerum atque fortunæ tempestatibus varientur. (3) Quòd in Jure quædam merè civilem habent rationem: verbi gratiâ, ut habenti tutorem, tutor non detur; §. *5. Instit. de Curator.* ut prædiales servitutes, neque ex tempore, neque ad tempus constituantur: *l. 4. de servitut.* ut in Testamentis septem, non sex vel octo testes requirantur; *l. 21. C. de Testament.* utque in materiâ præscriptionum, 10. 20. 30. 40. non vero 15. 25. annorum, mentio fiat. Hûc quoque pertinet quod scribit Æmil. Probus: *in præfat. libri de vitâ excell. Imperatorum.* Non eadem omnibus turpia atque honesta esse, sed præcipuè majorũ institutis judicari. Ea omnia, unâ cum similibus aliis infinitis, ab instituto humano, ex opinioneque pendent; secundũ quam aut constant, aut abrogantur, & prorsus arbitraria censeri debent: *Dn. D. Lansius d. disquis. d. Lege Regiâ. thes. 88. Val. Riemer. in semicent. Juris quæst. dec. 1 thes. 6.* sed tamen ordinem & certitudinem suam in Republicâ haberi debent. *5. Ethic. cap. 7.* Hæque civiles Leges, ne tum quidem, cùm videntur naturalibus præceptis adversari, naturali ratione destituuntur: imò tunc quoque illis Natura suffragatur, quę semper monet & instat, ut patriis Legibus pareamus. *Bolognet. d. æquit. &c. cap. 30. nu. 6.* Indeq. Lex etiam dura, vel apparente carens ratione, custodiri debet; ut Imperii ordinisque auctoritas conservetur, ac ne obtemperantium atq; obedientium respectus, cum manifestâ & extimâ Reipublicæ pernicie confundatur. *can. 3. & 4. dist. 4.* Quam eandem ob caussam, omne Principis placitum, quod Naturæ, supremæque Legi (publicæ nempè saluti) non contrariatur, Legis vigore pollet, etiam si

non

non ita æquum foret: nam & Prætor Jus reddere censetur, cùm iniquè decernit, *l. penult. hoc tit. noster.*

3. Utcunque magna inter Politicen atque Jurisprudentiam cognatio sit; disciplinæ tamen sunt & haberi debent separatæ. *Keckerman. 1. Polit. cap. 17. fol. 293. & in Præcogn. Philos. fol. 111. Timpler. 1. polit. 1. quæst. ult. Volcmar. Scribonius, Introd. ad Jurisprud. thes. 2. 3. 57. & seq. Henric. Velstenius, centur. quæst. Polit. dec. 12 thes. 9. & dixi ego disp. pol. 1. th. 45. ad fin. class. 1.*

(1) Politice, artis nostræ Juridicæ principia, & prima continet fundamenta; undè tritum illud verbum, ubi desinit Politicus, ibi incipit Jureconsultus. Jurisprudentiæ principia sunt Leges; quarum διότι Politice probat, & de quibus non est Jureconsulti, quatenùs talis, disputare; *l. 12. §. 1. qui & à quibus manumiss.* sed secundum jam latas decernere sanctiones. (2 Politice, prudentia est subordinans, & architectonica; Iurisprudentia subordinata. Politicus de ordinandâ Republicâ consultat; jā ordinatam Jureconsultus assumit. Ac ita in genere tantùm, Iudiciorum, ac Successionum, &c. partes & requisita Politice considerat: quæ omnia particulariter ac per circumstantias persequitur, & ad hypothesin deducit Iurisperitus. Diversimodè disquirunt de sanitate & morbo, Medicina ac scientia Naturalis: *Iac. Martini. Colleg. Philosoph. 1. disputat. 8. disquis. 3.* ferè ut de Legibus ac Republicâ, Politicus & Iurisperitus. Itidem ut Physica universalis Medicinâ est; ita quoque Politice, plura quàm Ius nostrum ambitu suo comprehendit. Interim non assentiri queo Val. Riemero *semicent. quæst. Iur. dec. 1. thes. 1.* Qui Iurisprudentiam nostram, Politicam exemplarem vel individualem, seu Politicam circa Ius civile Romanum, appellat. Nam est quidem Politica specialis seu Individualis; sed tamen alia à Iuris arte: quippè & huic subalternatur Iurisprudentia Romana specialis. Politia specialis Romana, cognitio existit multarum singularium rerum, ad Rempublicam Romanam regendam necessariarum. Iurisprudentia Romana specialis, tractat quomodò singulatim Leges Romanæ sint enodandæ; non ultrà Reipublicæ se se ingerit administrationi.

4. Jurisprudentiam non scientiam esse, propriè sic dictam contra Chassanæum, *in Catal. gloriæ mundi, parte 10. consid. 18.* &

Petrum

Petrum Gilken. *in scripto hac de re singulari:* facillimâ operâ doceri potest ex Arnisæo, *cap.13. Politicorum fol. 307.* & Volc. Scribon.*introd.ad Jurisp.thes.3.num.3.& seq. videatur Andr. Gerhardi,disput. ad Instit. 1.coroll.2.*

Est enim scientiæ subjectum ens per se,non per accidens universale; necessarium non contingens. Et scientiæ finis est, cognitio sola;quorum neutrum de Iuris cognitione pronuntiari potest.

Prudentiam quæ circa ea versatur,quæ sub deliberationem cadunt,eon esse scientiam,cum Aristotele,*6.Eth.5.* Gilkenius concedit. At Jus nostrum, ait, tractare de his , quæ ex Naturæ instituto, hominumque possessione tam sunt certa atque indubitata, ut in consultationem non ampliùs deducantur. Idquod sensus & usus communis refellit: & quæ ibi necessitas apparet, non est nisi quam ex hypothesi & consequentiæ vocant. Ac licet Juris præcepta,haut contingentia videantur: *Christian Matthias,Colleg. Polit. 1. Disput. 1. quæst.9.* non tamen audiendus est Anton. Faber, cùm dicit; fortè Jurisprudentiam nostram, tam certa principia quàm Mathematica, habere. *v.Bachov.ad disp.Treutl.1.thes.2.lit.a.ad fin.* aliàs enim & Philosophia practica,admitteret demonstrationes. *1.Eth.1.* Et porrò principia scientiam non faciunt, sed affectionum per principia demonstrationes.

5. Attamen Jus (Romanum) artis meretur nomen,artisq; formam æquè legitimam, ac quævis alia, ejus materia recipit. Contra Bodinum, *in distrib. Juris.* Petrum Costalium,*in parerg. num.16.*& Paul.Busium:*2.subtil. cap.8.* cum Joh Mercerio. *1. opinion.1.* Vaconio, *declarat.29.* Ludov.Charondâ. *in præf. verisimil.* Val.Guil.Forstero,*exercit.1.thes.23.* Giphanio. *ad 6. Ethic. cap.4.* Bachovio, *ad disput. Treutl. 1. thes.2.lit.a.* Johan. Stuckio, *disput.part.1.decad.1. assert.2. lit. b. & k.* Volc. Scribonio,*Introduct.ad Jurispr.sect.3.nu.7 &c.*

Zabarella, *libro d. natural. scientiæ constitut. cap.33.* in sequentia scribit; Juris quam nos vocamus artem, simplicem quandam peritiam esse: quæ nec scientia, nec prudentia, nec ars appellari mereatur; cùm sit sine ratione. Hanc enim callere aliquem posse absque ullâ civilis, aut Legislatoriæ cognitione. Et ita videri sub Legislatoriâ esse; ut Empirica sub Medicinâ (2) Omnem,alii

ajunt, ſcientiam & artem, ex ſuis principiis & cauſſis demonſtrandam eſſe: quorum utriſque careat Jus noſtrum. *argum. l. 20. de llb. §. ſed & quod Principi. Inſtit. d. Iure natural* cujus etiam propterea maxuma ſit incertitudo: cùm magnam partem in uſu Populi conſiſtat, *l. 32. d. llb.* & etiam non paucas admittat fictiones. *§. 11. Inſtit. d. liber. exhered. Novell. 118. cap. 3.*

Ego hic Artem ſumo, prout uſitatè definitur; pro coacervatione ex multis animi perceptionibus, uſu & exercitatione conquiſitis, ſpectantibusque in unumque exitum vitæ: cum Cicerone, Quintiliano & Luciano. *vid. Fr. Piccolom. gradu 5. cap. 50. Ægid. Strauch. illuſtr. quæſt. Ethic. cent. 2. dec. 8. theſ. 7. & 8. Sigefrid. Neumeiſter. Colleg. Ethic. diſput. 8. theſ. 31. &c.* Et ita, cùm Ars pro compendioſâ præceptorum accipitur comprehenſione, Rhetorica, Dialectica, Poetica artibus adnumerantur. *Piccolom. gradu 8. cap. 29.* Hæcque definitio Artis, non ſolùm convenit quoque noſtro Juri; ſed & idem Jus noſtrum, in artem (pro viâ & ratione, quam Græci μέθοδον vocant, acceptam) redigi quin poſſit, nullus video. Habet enim præcepta univerſalia, propria, & reciproca: non proprio deſtituitur genere & ſubjecto, fineque proprio; & in ſua reſolvi poteſt principia, cauſas & elementa. Omne autem ſcibile, artis & ordinis capax eſſe, tritum eſt axioma Philoſophorum. Hocq; in Juriſprudentiâ noſtrâ, nō adeò infeliciter præſtitère multi; *Hackelman. illuſtr. 1. theſ. 2.* & quemadmodùm fieri debeat, jam olim Cicero demonſtravit, *1. d. Orat. fol. m. 180.* ubi ait: Primò Jus civile omne in genera digerendum, deindè illorum generum quaſi quædam membra diſpertienda, tum propriam cujusque vim, definitione declarandam eſſe. *v. infr. §. 6. ad fin.*

Immeritò adverſarii, omnem penitùs Juri noſtro detrahunt rationem. Equidem Jureconſultus in Leges poſitivas, quæ ſunt principia ſua, non inquirit; ſed ea accipit à Legiſlatore: generaliter namque eſt verum, nulla principia in ſuâ probari diſciplinâ. Interim ſi de principiis dubitatio ſuboriatur, ad eas recurrit diſciplinas, undè illa ſunt ſumpta. Et porrò ex Legibus, ſeu principiis præſuppoſitis, ad ſimilia progreditur, varièque ratiocinatur. *argum. l. 10. 11. 12. 13. 17. d. llb.* Hicque Juriſprudentia, minimè deſultoriâ illâ, quæ ipſi vulgò impendi ſolet, operâ eſt contenta: non Leges ita ſunt cognoſcendæ, ut eas ſufficiat memoriter enumerare: quemadmodùm infrà ad hanc ipſam Legem, §. 7. dicam.

Et

Et quamvis circa singularia, occupata videri possit cognitio Juris: satis firmas nihilominus & generales regulas habet; quæ omni Juri, non Romano solùm, accommodari queunt. Non est Jus nostrum ars boni & æqui Romani: sed æquitatis rationes (suadente Cicerone) à Naturâ petendæ: & Jus hoc, quod tam varium est, tamque latè patet, in angustum coercendum est Naturæ locum. Cumque omnis disciplina generalibus constet; optandum quidem esset, generalem aliquam Jurisprudentiam dari: at quia id propter circumstantias varias obtineri nequit; rectè fit, ut Romana habeatur pro tali, & quicquid est uspiàm Juris, per interpretationem ex illâ juvemus. *Keckerman. 1. Polit. c. 2 f. 75. Duaren. c. 2. d. Instit. de Iure. Mercerius, 1. opin. 2. Iac. Curtius. 1. conject. 1. Vincentius Cabotius. 2. disput. cap. 1. Donell. & ibi Hilliger. 1. comment. cap. 16. ad fin.*

Dubitari hìc posset, quâ Methdo ars Juris sit traděda? *vid. Henr. Gebhard. d. princip. Iur. conclus. 10.* Compositivam VVesembecius laudat: sed in practicis disciplinis analyticâ opus; quæ incipit à fine & objecto, ac tùm demùm media proponit, quibus ad finem perveniamus. De mediis, agi potest methodo compositivâ: namque particularis methodus, non necesse est, ut eadem sit cùm universali. *v. disp. meam polit. 1. th. 47. class. 1.*

6. De Tribonianâ verò methodo, quid sit sentiendum? adhuc magis ambiguum habetur. Etenim omnium ferè Neotericorum judicio, Jus nostrum sine ordine compositum videri; Matheacius attestatur. *1. d. viâ Juris. cap. 27.*

Quamvis in rebus nihil perfectius, earum tamen collocatione nihil perversius esse, scribit Donellus. *1. com. 1.* In Digestis adeò omnia esse confusa, disjecta, atque indigesta ait Hotomanus, *præfat. lib. 5. observ.* ut hos suos libros Tribonianus κατ' ἀντίφραστιν, digesta inscripsisse videatur. In Lege ult. ff. d. lib. tria summa Juris genera facit Ulpianus, cùm ait: Totum Jus consistere, aut in acquirendo, aut in conservando, aut in minuendo; ubi autem hæc in Jure nostro distinctè tractantur? ubi quæ de acquirendo inibi habentur, conjuncta videmus? In Lege 1. & 2. ff. d. statu hom. certa & elegans proponitur methodus; quæ tamen in sequntibus mox titulis negligitur. Statim namque in libro 1. de rerum agitur divisione: id verò Jus, quod de servitute, Jure domi-

nico, deque manumiſſione, libertis & patronis eſt conſtitutum, & hic à principio explicandum erat, in ſextâ demùm attingitur parte. Et porro quæ apta ratio excogitari poteſt, ut ante titulum de Teſtamentis, tituli de inofficioſo Teſtamento, & de teſtamentariâ tutelâ, proponerentur? Titulus de exceptionibus, titulum de obligationibus & actionibus præcedit: & ſic priùs exceptionibus quàm actionibus uti edocemur. Quid, quod non una eademque Pandectarum, Codicis & Inſtitutionum methodus exiſtit? *v. Dn. Harpprecht. ad t. Inſt. d. Iur. natural. ad fin.* (2) Etiam ij, qui Tribonianum genera ipſa non malè notâſſe, in generalique titulorum conexione, ſummam illius induſtriam fuiſſe contendunt: ſub ſingulis tamen titulis, rhapſodiam quandam eſſe conqueruntur, arte carentem. Quo ordine cuique è Compilatorum quodque oblatum, lectum, probatumq́; ab eodem ſub Rubricis, tanquàm in locum communem quendam conjectum eſſe: *Hilliger. ad Donell. 1. com. 1. lit. D. E. F.* hincq́; effectũ, ut ſemper priores libri Jureconſulti cujuſvis, aut quæ ex iis excerpſit; poſterioribus præferret Tribonianus. *Cujac. lib. 27. obſerv. cap. 27.* (3) Seriem alii Edicti perpetui exiſtimant Compilatores in Digeſtis ſequutos: *l. 2. d. ſtatu hom.* idque in cauſsâ fuiſſe, quò minùs potuerint exactiorem ordinem ſervare. *Duaren. 1. diſputat. annivers. cap. 55. Mattheacius, l. d. viâ Iuris. cap. 28. num. 32.* Quod tamen deſtruere videtur §. 4. ibi: neceſſariò eas in anteriorem locum tranſtulimus. Conſtit. de methodo Juris docendi. (4) Alii aſſerunt, generales titulos in Jure inveniri; nonnulli viciſſim negant. *vid. Cujac. ad Novell. 112. & 7. obſerv. cap. 32. Contium, diſputat. cap. 4. Robertum, 2. animadverſ. 6. Bocer. diſputat. quæſt. Illuſtr. theſ. 1. Arumæum, diſputat. ad LL. præcip. 7. theſ. 1. Hackelman. illuſtr. 1. theſ. 2. lit. c. Ant. Matthæum. diſput. ff. 9. theſ. 1. Kizelium, in prin. tract. d. rebus credit.* (5) Ordinem Digeſtorum mirè Cujacius commendat. *in parat. ff. mandati.* Et Inſtitutionum præſertim libros, enarratione definitionum & diviſionum perſpicuâ conſumi, à notioribusque ad particularia progredi, Heigius notat: *ad §. 2. num. 12. Inſt. d. Iuſt. & Iur.* quod tamen haut placet Vultejo. *diſcept. cap. 16. fol. m. 143.*

Nos ordinem animadvertimus, *argum. Conſt. ad Anteceſſores. §. 4. & 5.* juſtam abſolutamque methodum, cum Duareno, *hic. cap. 2. ad fin.* deſideramus: non tamen ea in tam magno opere ubique exqui-

exquirenda nimis; nec ideò minoris Jus nostrum æstimandum. Est in titulis series quædam continuata, ut alius ex alio necti videatur; est ubique ars, vel artis simulachrum: est ordo prudentiæ, si non est ordo methodi. *Cujac. in princ. comment. d. excusationibus. Hilliger ad Donell. 1. cap. 1. lit. F.*

Ex hisce omnibus sequentia nobis porismata resultant. (1) Nimis forsan operosam eorum operam esse, qui novas cottidie Juris methodos comminiscuntur: quod & monent Cujacius, *in parat. ff. mand.* Contius, *1. lect. 11. à princ.* Duaren. *d. c. 55.* Mercerius, *1. opinion. 5.* Gothofredus *ad l. 2. d. statu hom.* Corasius, *ibid. ad fin.* Dum enim illa compendia methodica discūt auditores, negligi (ajunt) Leges, ipsumque textum. Plus sæpè temporis consumere, de methodo, quàm de re ipsâ disputationes. Et novam methodum multis tentatam, nullis ità feliciter successisse; ut in pluribus non peccaverint, quàm ipse Tribonianus. Non ad hunc usque diem talem methodum proditam ab ullo fuisse, quo omnes essent contenti. (2) Continuationem tituli ad titulum non necessariò faciendam. *Vacon. decl. 51. per totam.* (3) Neque ab ordine rubricarum magni semper momenti esse, quod sumitur argumentum. *Vide post Everar. in Top. Matth. Stephanum libr. 2. Dialect. Iuris. loco 2.*

7. Jus nostrum, haut nuda Legum & sanctionum; sed æqui potiùs & boni artificialis notitia est. Nulla quippè magna sapientia est (vel ipso Aristotele, *5. Ethic.* teste) quæ justa, quæque injusta sint nosse. Quia ea de quibus loquuntur Leges, intelligere difficile non est: at ea justa non sunt nisi ex consecutione; sed ità demùm justa, si certo quodam modo fiant, & certo quodam modo tribuantur. Id autem operosius est, quàm quæ salubria sunt nosse. Nam illic quoque mel, & vinum, & elleborum, & ustionem & sectionem facile est nosse: at nosse quomodò hæc ad sanitatem sint adhibenda, & cui, & quandò, ita difficile est, ut Medicum esse.

An differant æquum & bonum, curque in Juris definitione conjungantur? variè disserunt Corasius, *2. miscell. 18.* Treutlerus, *disp. 1. th. 2. lit. b.* Joh. Stuck. *decad. 1. assert. 2. lit. d.* Quid æquū & bonū singulatim notent, non jam indagare lubet; cùm id faciat Vaconius à Vacuna, *declarat. 28.* At verò æquum & bonum, quoties

simul ponuntur, *ut hic, & in l. 32. d. reb. credit. cum similib.* illud exprimere sentimus, quod Aristoteles vocat ἐπιεικὲς; *Budæus, Zasius, & alii quos laudat Bolognetus. de Lege Iure & æquitat. cap. 29. Vaconius, d. declar. 28.* cui aliud satis aptum vocabulum non potuit inveniri. Græca quippè vox, facilitatem quandam notat, cum æqualitate conjunctam (descendit namque ab εἴκω, hoc est, cedo) & ideò cùm Latini illam vertunt æquum bonum; æqui appellatione significant parilitatem, boni, facilitatem. Hocque æquum bonum, nihil aliud est, quàm emendatio legitimi seu legalis Justi. & supplementum ejus quod Juri scripto deest, neque lege est expressum: sive ignorante Legislatore, sive sciente quidem, sed propter circumstantiarum in rebus occurrentium infinitatem determinare non valente, id fuerit factum. *Clemens Timpler. 3. Ethic. quæst. 22. & seq. Bolognet. cap. 31.*

Hujus artem, quomodò nimirum Jus legitimum, Legesque interpretari scriptas, & incidentium negotiorum circumstantias ex æquitate dijudicare debeamus; tradit Jus nostrum. Estque nihil aliud, quàm collectio quædam præceptorum, ad æquum & bonum pertinentium. Et hoc intuitu dicitur;

Ipsæ etiam Leges cupiunt ut Iure regantur.

Æquitas est rectitudo Judicii, naturalem sequens rationem. *Gail. 1. observ. 150. num. 18.* & hanc erudit ars Juris. Æquitas est certus modus, secundum quem Leges atque pacta interpretari queamus: *Bald. in l. si defunctus ad fin. C. d. suis & legitim.* qui scripta, dicta, factaque, non solùm in Legibus, verùm etiam Testamentis, cæterisque hominum artibus rectè interpretando aperit, distinguit, dilatat, cohibet, supplet, præjudicat, ut ratio recta dictat. *Mat. Salomon. b. f. m. 4.* Hunc modum monstrat Jus nostrum: dum nempè docet, non verba saltem tenere Legum, sed vim earum ac potestatem; *l. 17.* interpretatione statuere aliquid certius; *l. 11.* ad similia procedere; *l. 12.* interpretatione supplere; *l. 13.* benignius Leges interpretari. *l. 18. d. Legib.* Inde apud Jurisconsultos nostros, frequenter auditur; Edicti cessare verba, sed sententiam Edicti ad hæc porrigendam; *l. 7. §. 2. d. Iurisdict.* deficere verba rescripti, sed dicendum eandem esse rationem; *l. 2 §. 29. ad SC. Tertullian.* verba Legis hunc habere intellectum, sed mentem Legislatoris aliud velle; *l. 13. §. 2. d. excusation. tut.* hæc suggere æquitatem, etsi Jure deficia-

deficiamur: *l.2.§.5.d.aquâ & aquâ pluv.* cumq; subsistunt, ad æquum & bonum ij confugere solent. *l.32.d. reb. credit.* Sanè naturalis ratio semper est in causâ, quòd Lex scripta egeat interpretatione, & quòd vel coangustetur vel emendetur. *l 2.§.5. & 13.d. Orig. Iur.* Hanc, inquam, artem edocet Jus nostrum: nos erudiens ne ʋpè, in omnibus sequi ęquitatem. Hocque Iustitiæ à qua Ius descendit, maximè convenire videtur. Iustitia etenim absoluta, quæ Ius strictum & rigidum sectatur, non vera sed apparens Iustitia est; *Timpler.d.quæst.22. adde AEgid.Strauch. cent.2.quæst. Ethic.dec.4.th.3.* bonum verò & æquum tractare, vera Iustitiæ cultura habetur: *Draren.hoc tit.cap.2.* sicque Iustitiæ potiùs, quàm consulti Iuris esse debemus. *Colerus,parerg.29.* Errant itaque, qui Iuris artem pro Legum scientiâ sumunt: esset enim hâc ratione infinita, quia Leges variè mutabiles, & sine numero ubique, ac novæ quotidiè fiunt: sed verò ars Iuris, ubivis locorum fiet, eas interpretari, ac facto adplicare monstrat, & quoque ne sub æqui ac boni prętextu, perniciosè erretur, efficere conatur. *l.91.§.3.in fin. d. verb.oblig.*

Quæ tamen Iuris interpretandi ratio, alia est à dispensatione (seu clementi legum remissione) vel quæ per novam sanctionem fit, Iuris (ratione voluntatis dubii) correctione. Hocque modo in concordiam rediguntur, quæ aliàs pugnare videntur, Lex 8. C. d. Iudiciis, & l.1.C.d.legib. *Bolognet.d.tract.cap.31.num.22. & cap.33.ac seqq. Donell.1.comment.13. & 14.*

8. Etiam in Naturali ac Divino Jure, Æquitas adhiberi potest. Legis quippè defectus quem corrigit ἐπιείκεια, propriè non est penes Legislatorem; sed provenit ex naturâ negotiorum, quæ propter infinitam multitudinem circumstantiarum, Legum cancellis includi nequit. *v. AEgid. Strauchium, cent. 2. quæst.illustr. Ethic.dec.4.thes.4.* Et itidem ipsa quoque Consuetudo, recipit Æquitatis temperamentum. *argum. l.39. d. llb.* contrà ac sensit Bolognetus, *cap.31.num.15. &c.*

Non enim apta differentiæ ratio dari potest, cur Lex scripta Æquitatis temperationem admittat, consuetudo respuat. Consuetudinem autem sumo, quasi pro inductione casuum plurimorum ex quibus adstruitur regula generalis.

9. Nullum propriè sic dictam, agnosco æquitatem scriptam.

Arist.

Arist. 1. Rhetor. cap. 13. l. 2. §. 5. d. aquâ pluviâ. Bolognet. cap. 31. num. 21. Duaren. hic cap. 2. & 2. disput. cap. 18. Vultej. §. 2. num. 5. Instit. hoc tit. & in princ. num. 1. Instit. d. Jure natur. gent. &c. Ant. Faber ad l. 14. d. lib. Treutl. disput. 1. thes. 2. lit. b. vol. 1. Arumæ, exercit. 1. thes. 8. Andr. Gerhardi, disput. ad Instit. 1. corollar. 5. Non tamen æquitas est species Juris non scripti. *Val. Riemer. semicent. dec. 1. thes. 9.*

Divisio æquitatis, in scriptam & non scriptam, arrisit multis, & præsertim Marcell. Lyclamę, *7. membr. Eclog. 39.* Iohan. Stuckio, *dec. 1. assert. 2. lit. d.* (1) Per Legem 8. C. de Iudiciis, ibi: æquitatisq; scriptæ. (2) Quia quàmplurima sunt in Iure nostro scripto, ex æquitate merâ quæ descendunt. Quò ēt intuitu scribit Alciatus, *5. cons. 39. in fin.* ad conscientiam & æquitatem pertinere limitationem; regulam esse Ius ipsum: limitationem bonum & ęquum per quod regula temperatur. (3) Ius est ars æqui & boni. Illa ars in scripturam est redacta. Ergò & æquitas ipsa.

Sed verior est lectio dictæ Legis 8. τὸ *scriptæ*, quæ omittit: *Duaren. 2. disput. cap. 18. Ant. Augustin. 4. emendat. 8.* neque id verbum agnoscit editio Gothofredi. Ac porrò, si qui Leges condere potest, ex æquo & bono priores interpretetur, idque eo animo fiat, ut velit eundem in modum ab omnibus illas servari; hæcce interpretatio (ex Æquitate licet fuerit deprompta) statim ac scribitur, æquitatis amittit nomen, & Legis assumit. Mox verò illa Lex ipsa, alio quoque incipit egere interpretamento; cui pariter hoc ipsum Æquitatis nomen tribuemus: sicque semper Æquitas in Legem conversa, novæ æquitati initium præbet atque occasionem. Id quod sequenti patescit exemplo. Prætorium Ius, ab æquitatis quasi radicibus pullulavit, eoque Ius Civile à nimiâ subtilitate ad Ius Naturæ, ex æquo ac bono revocatum fuit. *l. 7. §. 1. h. t.* Æquitas illa Prætoria, à Salvio Iuliano in Edicti perpetuí redacta formam, auctoritate Imper. Adriani, Legis vim accepit: sed illicò Iureconsultorum variorum opera necessaria fuit, qui ad illud ex æqui bonique arte commentarentur. Horum traditiones à Iustiniano compilatæ, nostrorum Interpretum industriam excitare non adhùc cessant.

In corpus redigens amplum Ius Iustinianus
Lites amputat, & verba supervacua:

Sed

Sed dum Lege genus curat, speciemq; relinquit,
Verba dedêre diem, relliquia tenebras.
Quid? redeunt lites & pristina jurgia.——

Adeò (quod Scævola respondet, *in l.14. in princ. d. divers. & temporal præscription.*) de iis quæ in æquitate consistunt, nihil perpetuum neque generaliter definiri potest. Unde & Lesbiæ regulæ Æquitas ab Aristotele assimilatur admodùm eleganter. *Erasm. in adag. Bologner. cap. 30. num. fin.* Et tandem, aliud est tradere præcepta & regulas varias atque certas, quas in æquitate investigandâ observemus; aliud est dicere ipsam æquitatem esse scriptam.

10. Jureconsultos veram, non assimulatam affectare Philosophiam, rectissimè hîc dicit Ulpianus. *Petr. Faber. ad l. 1. h. tit. n. à princ. Govean. 1. variar. 18. Lyclama. 7. membr. 38. Ana Gerhardi, in Præfat. Disputat ad Institut. Henr. Gebhard. de princip. Jur. conclus. 6.*

(1) Moralis etenim Philosophia, cujus pars est, ars Juris; vera haut immeritò visa fuit Socrati ratio Philosophandi: *ut docui in Templo Justitia. num. 38.* eaque propter multiplicem & necessarium usum quem in communi vitâ habet, Theoreticæ omninò præponi debet, *Ægid. Strauchius. illust. quæst. Eth. dec. 1. th. 3. cent. 1.* (2) Quia Philosophiam non fastu & habitu, Jurisprudentia mentitur: & unicum ea est instrumentum, quo quæ verior nos docet Philosophia, Reipublicæ commodare queamus. Non ea in meditationibus solummodò operam perdit, sed & quæ didicit, ad communem utilitatem nititur omnia referre. Non est sincera Philosophia, quæ publicis commodis non est accommodata; quæ Philosophum habitu & pallio metitur: qualibus sciolis personam subindè detrahit Lucianus. Sed hoc quoque par est monere; Iurisprudentiam quę veræ Philosophiæ tueatur nomen, plura quàm vulgò putatur, ambitu suo complecti.

11. Legislator, tam publicè, quàm ut inter privatos omnia rectè sint constituta studere; & ideoque tam publicis personis, rebus, & negotiis, quàm privatis Leges ponere debet. Cùm verò Jurisperiti sit, Leges omnes ritè explicare & dispensare: Studii itaque nostri (hoc est rei & artis cui studemus, *Donell. 2. com.*

cap. 3. Vultej. §. 4. d. Instit. & Jur. num 1.) duæ sunt positiones *hâc lege nostr. §. 2. & §. 4. Instit. eod.*

Simplicissimum est, Positiones dicere pro capitibus, quæ & nos vulgò quandoq; vocamus Theses. *Vide Æmil Ferrettum, hic. Lyclam. 7. membr. eclog. 40. fol. 373. Hillig. in notat. ad Donell. 2. com. 3. lit. b.*

12. Harum positionum una Privati, altera Publici Juris perpendit rationem. *Lyclam. 7. membr. Ecl. 40. §. 1.*

Bipartitæ huic divisioni, repugnat Lex 23. *in princip. C. de Sacrosanct. Eccles.* ubi Ius triplex statui videtur; Divinum, Publicum, & Privatum: & apertè à publico sejungitur Divinum. Quæ divisio etiam in XII. Tabularum Lege adprobatur: ut innuit Ausonius, *Idyll. 5.*

Ius triplex, Tabulæ quod ter sanxêre quaternæ:
Sacrum, Privatum, & Populi commune quod usquàm est.

Et indè Donellus, *2. com. 3.* Ius aliud Divinum, aliud Humanum esse ait. Ius Hominum; vel Reipublicæ seu Publicum, vel Privatorum. Sed planè nulla subest hic difficultas; & modò dicta divisio trimembris, operâ facillimâ fit bimembris. Si nempè Ius duplex faciamus; publicum & privatum: & publicum iterum in duos ramos; Sacrum aut Divinum, & publicum humanum abire dicamus: quorum illud ad Ecclesiasticam, hoc ad Civilem pertineat Politiam. *Cujacius. 5. observ. cap. 33. Vultej. ad §. 4. num. 2. Inst. h.* Ius publicū, universale magis, & simplicius est quàm Ius Sacrum, hoc namque sub illo continetur: & idcircò non haberi possunt pro speciebus contradistinctis. Quæ ratio me movit, ut *disput. pol. 12. class. 1. thes. 7.* ubi tracto de rerum divisione, res Sacras Publicis adnumerarim. Nec est quòd quis instet cum Donello, si quis Ius Publicum in Divinum & humanum distribuere velit, speciem subiici genere latiorem: eò quòd Ius humanum, complectatur quoque privatum. At verò Ius Divinum, haut opponitur simpliciter humano sed publico humano; ut jam modò indicavi.

13. Privatum Jus, monente hîc Ulpiano, singulorum respicit utilitatem; eoq; utimur, in dirimendis controversiis privatorum. Publicum ad statum cujusque Reipublicæ spectat; hoc est, de iis pertractat rebus, sine quibus nec constitui, nec

con-

constituta servari potest Politia: est etenim status, quos res stat; nec sine eo consistit. *Donell 2. com. 5.*

Sed ajs, multa alia bono Publico introducta dici, quæ nihilominus privati habentur Iuris: ut de Usucapione scribitur, *in l. 1. d. usurpat. & usucap. l. 18. §. 1. d. damno infect.* (2) Quàm plurima item alia Iuri publico adscribuntur, quæ nec ad Sacra pertinent, nec ad Magistratus: Testamenti nempè factio; *l. 3 qui testam. facere poss. l. 1. in princ. ad l. Falcid.* Tutela, &c. *l. 10. §. 4. de testam. tutela. l. 17. §. 2. d. excusat. tutor. l. 9. de his qui sui vel alieni Iur.*

Attamen cùm à principaliori conveniat fieri denominationem; *l. 1. d. auct. & confirm. tutor.* ideoque & hic est inspiciendum, quid Reipublicæ commodet principaliter & immediatè. *Zasius hic. ad §. hujus studii. num. 5.* Et sic publicum est, quod primò publicam respicit commoditatem, cujusque utilitas, non principaliter alicui personæ appropriari potest; licet ex statu Reipublicæ ritè ordinato, singulorum quoque felicitas consequatur. Sicque pariter privato id Iuri est adnumerandum, etsi promoveat ex consequentià publicam utilitatem; simodò præcipuè negotia respectet privatorum, nec Reipublicæ dispositionem coucernat. Ius etenim publicum, privatam; privatum, publicam utilitatem respicere debet: indeque suavissima resultat in Civitate harmonia. Ita Sacerdotes ac Magistratus singulis utiles esse, nemo nescit: ac vicissim bonæ Leges de privatorum negotiis latæ, publicum augent emolumentum; ut jam suprà de usucapione, quod bōno publico sit introducta, est dictum. (2) Ut & porrò adverti debet, hanc artis nostræ Legalis divisionem, non à caussâ efficiente, nec formâ promulgandi, vel ex effectis ejusdē; sed à fine desumi & objecto. Ratione quippè efficientis, ut & formæ promulgandi, Leges quæcunque omnes, publicæ (minùs propriè tamen) dici merentur; non etenim privatâ sanciri queunt auctoritate: pariter ut ipso effectu; quia ab omnibus æqualiter debent observari. *L. 1. L. 10. C. de Legibus.* Et non impropriè insuper, quædam Iuris publici dicuntur, ad singulorum quamvis pertineant utilitatem; sed tamen à publico Iure ita dependent, ut non sint in privatorum potestate. Quod de testamenti factione & sollemnitate respondet Arumæus, *exerc. 7. thes. 5.* (nec enim Testator efficere potest, ut Testamentum valeat debitâ formâ carens. *L. nemo*

poteſt.55.d Legat.1.) Et de Tutelarum Iure, Collega meus Dn. Harpprechtus. *Inſt.d.excuſat.tut. in princ.nu.14. Hilligerus, in Donell. enucl. 3.cap.9.lit.A.* (eò quòd invito, ac in invitum detur.) At nobis hîc, & quidem propriè publica ſunt; quæ, ut Craſſus dicit apud Ciceronem, *1.d. Orator.* Civitatis & Imperii propria exiſtunt. *v. Donell. 2.com.cap.5.6.& 7.a princ.* At verò inter proprium & improprium, medium aliquod interdum dari; quod non proprium eſt, ſed tamen minus proprium; *ex l. 1. ff. d. ſuis & legit.* edocet Bolognetus. *d.lege, Iur.&c.cap.3.num.24.*

14. Publicum Jus, in ſacris ac Magiſtratibus conſiſtit. Sacra, Eccleſiæ ſedem ac domicilia comprehendunt; vaſa item, Miniſtros, eorumque immunitates, & quæ alia politiam Eccleſiaſticam concernunt.

Ius hoc Sacrarum rerum, quod Majeſtatis Iuribus accenſetur, *Clapmar. de Arcanis Rerump. lib. 1. cap. 15. ego diſput. pol. 4. claſſ. 1.* & porrò Reipublicæ non exigua eſt, conatu ſacrilego ſibi ſoli aſſerere; & ſic in univerſo orbe Majeſtatis ſuæ dimidiatâ parte, omnes omninò Monarchas & Reſpublicas ſpoliari, depeculari que nititur Pontifex Romanus. Ut indè non immeritò dubitet Alb. Gentilis, *lib. 1. de Legat. 4.* an Principes ſint ſupremi, qui Pontificias agnoſcunt ſuperſtitiones.

Ea verò quæ cognitionem, dilectionem, & cultum Dei ſpectant, & à quibus exordium ſumit Codex Iuſtiniani; non in Legiſlatoris eſſe poteſtate, opportunè monet Donellus: *2.com.4.*

15. Voce Magiſtratus, Principem, Leges, Judicia; res Civitatis & dignitates hîc intelligi, notat Gothofredus. Et ita Juris publici ſcientia, Jus, ut dixi, Sacrorum; & tum præterea eorum, quæ ad Principis vel Imperii Majeſtatem ſpectare videntur, Jurium Regni, & Dominationis; pactionum, fœderum, Juris ſociorum, &c. profitetur notionem.

Excellens præſtantia hujus Iuris, nemini non perſpicua eſſe poteſt. Quantò eminentior eſt ſubditis Princeps, & publica præſtant privatis; tantò major eſt dignitas hujus Iuris, quàm privati. Reipublicæ ignorationem malos Principes facere, negari non poſſe, ait Vopiſcus. *in Aurel.* Ejus itaque Iuris cognitione nemo carere poteſt, qui Reipublicæ vel Principibus à Conſiliis eſſe; & omnes

& omnes qui vel imperare vel Magistratum gerere velint. *v. Bernh. Zieriz. tract. d. prærog. Princip. B. 4. b.*

16. Jus Publicum, famosâ illâ Regiâ Lege (quâ Populus Principi omne suum Imperium contulit & potestatem. *l. 1. in princ. ff. d. Constit. Princip.*) penitùs in Principes translatum; & per consequens, omnem abolitam Publici, Privatique Juris differentiam, perperàm putat Jacob. Rævardus: *5. varior. 12.* quod & observavit Arumæus, *exerc. 1. thes. 12. ac hâc de re egi ego, in Templo Iustit. num. 67. Adde Vinc. Cabotium. lib. 1. cap. 1. & lib. 2. cap. 1. Lyclam, 7. membr. Ecl. 8.*

Mutationem quidem aliquam Jus publicum esse passum, cùm in Monarchiā transiret Democratia Romana, dubitationem habet nullam: *Coras. 2. d. arte Iuris. 2. VVesembec. in paratitl. hîc, num. 2.* semper enim mutato Reipublicæ statu, Jus quoque publicum necessariò commutatur; cùm id ad statum propriè spectet. Sed Rex ubi est, nullum ibi publicum Jus esse; nemo dixerit nisi Tyrannidis administer. Hâcque ratione, nec Jus aliquod privatum superesset; æquè enim hoc ac illud, ad Principem pervenit: quin potiùs utrūq; non certè animo perdendi, verùm in Principis fide ac religione à Populo depositū; sicq; nō tam sublatū, quàm translatione & successione Principis custoditum fuit. Unde descendit mutuus ille inter subditos & imperantes obligationis nexus: qui facit ut nec Imperium Iure Dominico habeat Princeps.

17. Jus Publicum, in Institutionibus licet non tradatur: *§. 4. ibi: dicendum igitur est de Jure privato. Instit. hîc, Conr. Oeleman. in Antinom. Juris Civil. in proœm. Themate 5. & disput. 1. thes. 6. & 7.* attamen in Pandectis non omittitur; sed ejus intermittitur tantummodò tractatio, & commodis locis repetitur. *Lyclama, 7. membr. 40. §. 1. ad fin.*

Sunt Institutiones legitimæ scientiæ prima elementa, *§. 3. & 4. de confirm. Instit.* quæ Juris publici perplexâ disputatione, non onerare conveniebat: & præcedit meritò cognitio Juris privati. *Donell. 2. com. 6. ad fin. Lyclama. 7. membr. Ecl. 41. à princ.* Verùm in Digestis, denuò in hoc 1. libro assumitur; cùm inibi de Magistratibus subjunguntur multa. Ut & primus liber Codicis, de sacris,

Sacerdotibus & Magistratibus est. Ultimus Pandectarum, & tres posteriores Codicis libri, ferè nil non ad publicum Jus quod referri queat, comprehendunt. Ad idem quoque referri possunt Leges aliæ passim: quas uno fasciculo nectit Germ. Cusinius, *in descript. Iuris Utriusque, lib. 2. per totum.*

18. Non Jus, quod ars est æqui & boni, in Naturale, Gentium & Civile dispertitur; sed tres quasi fontes aperiuntur, undè ejus regulæ hauriri queant: Jussa nimirùm seu præcepta naturalia, & gentium, ac ratio civilis. *l. 1. §. 2 in fin. l. 4. vers. quæ res. junctâ l. 5. in fin. hoc tit. nostr. §. 4. in fine. Instit. eod. Andr. Gerbard. disputat. Instit. 1. thes. 5. à princ. Stuck. dec. 1. assert.* 4. *b.* Quo ferè intuitu, Val. Riemer. *semicent. dec. 1. thes.* 8. discrimen facit inter Jus approbatum & absolutum.

Trimembri huic divisioni repugnare videtur, quòd Gajus *in l. 9. hoc tit. n.* dividit Jus, in proprium & commune: & proprium vocat, quod vulgò Civile appellamus; commune id ab eo adpellitatur, quod constituit naturalis ratio inter omnes. Ita & Paullus, *in l. penult. eod* omne Jus, in Naturale & Civile sejungit: quod & *in §. 11. Inst. de Iur. natur. ac § 11. Inst. d. rerum divis.* repetitur, & ipse adprobat Ulpianus, *in l. 6. hoc tit.* adstipulanturque Philosophi pariter omnes. *Lactant. 6. cap. 8. & 9. Aristot. 5. Eth. cap. 7. Talenton. 1. rer. variar. cap. 16. Keckerm. Ethic. 1. cap. 4. f. 174. Strauchius, quæst. illustr. Ethic. dec. 2. thes. 4. part. 2.* Unde Bodinus, *in distribut. Iuris univers.* scribit, Ulpiani divisionem, quia nec ipsa sibi, nec aliis convenit, refutatione minus egere.

At verò hìc, subdivisio cum divisione commiscetur; quod haut infrequens est Ulpiano. *l. 5. d. Pactis l. 4. in fin. hoc tit. junctâ l. 3. d. statu. homin.* Et pariter, ut suprà §. 12. tripartita hæc divisio, ad διχοτομίαν nullo negotio redigi potest. *Cujac. 15 observ. 33. Donell. 1. com. 6. Vultej. in princ. num. 4. Inst. d. Iure nat. &c. Oeleman. in Antinom. Giphan. proem. them. 7. Treutl. disputat. 1. thes. 4. in fin.* Ius duplex est, Naturale & Legitimum, seu positivum: φυσικὸν καὶ νομικὸν Aristoteles vocat *5. Ethic. 7.* Hoc idem est, quod in dist. 1. can. 1. habetur; humanum genus duobus regi, moribus videlicet & naturali Iure: & *ibid. can. 2.* omnes Leges, aut Divinas aut Humanas esse; Divinas Naturâ, Humanas moribus constare. (Plato autem qui

Legem

Legem dividit in Divinam ſeu æternam, Cœleſtem ſeu Fatum, & Naturalem, non politicè ſed metaphyſicè conſiderat eandem. *v. Bologner. d. Lege, Iur. &c. cap. 3.)* Cumque duplici naturâ homines ſint induti; unâ quidem humano generi cum beluis ipſis communi, alterâ ſolis hominibus appropriatâ: *vid. infr. §. 20.* hinc factum, ut duplex cenſeatur Ius naturale, unum ita in ſpecie dictum, aliud hominibus proprium, quodque *(ut infrà dicam, §. 25.)* Ius gentium primævum ab Interpretibus indigitatur. Ius poſitivum, in duos iterum diſcedit ramos: vel enim à pleriſque gentibus receptum (noſtrates ſecundarium vocant) vel eſt proprium alicujus Civitatis, & ſpeciatim Civile vocitatur. Ulpianus idem in effectu, aliis propoſuit verbis, & hominem tripliciter conſideravit: ut animal, ceu genus, undè ipſi Ius Naturale; ut hominem ceu ſpeciem, unde Gentium; ut individuum, hoc eſt, certæ urbis civem, quâ ratione Ius Civile aſſignatur. *Borcholt. § fin. num. 6. Inſtit. hîc. vide tamen diſſentientem Val. Riemer. ſemicent dec. 1. theſ. 3.*

19. Jus quoque Publicum, ex præceptis naturalibus, gentium, & civilibus collectum eſſe, intrepidè affirmamus. *Gloſſa hîc, verb. tripartitum. & ad §. ult. Inſtit. eodem. ubi & Vultejus, num. fin. Gædda. ad l. 6. in princ. num. 11. d. Verb. Signif. Andr. Gerhardi, diſput. Inſtit. 1. theſ. 5. Phil. Hænnon. diſputat. Inſt. 1. theſ. 8. Val. Guil. Forſter. exercit. 1. theſ. 29. Stuck. dec. 1. aſſert. 3. lit. D. Giphan. diſput. 1. theſ. 8. ac noviſſimè Bachovius, ad Treutl. diſput. 1. fol. 11. & Benedict. VVinckler. 5. d. princip. Jur. cap. 12.* Contra Cujacium *in notis. num. 8. Inſt. h.* Weſenb. *in parat. hoc tit. ſub num. 14. & d. pact. nu 4.* Bocerum, *claſſ. 1. diſput. 2. theſ. 5.* Lyclamam, *7. membr. ecl. 41.* Borcholt. *§. fin. num. fin. Inſt. hic.* Jac. Cramer. *diſput. 1. theſ. 9. ad fin.*

Probatur hæc opinatio, ex Lege *ult. ff. d. Legationibus*, ubi Legationum privilegia, ſpectantia ad Ius publicum indubitatè, ex Iure gentium deducuntur: & quod de unâ ſpecie aſſeveratur, cur non etiam de univerſo genere prædicari poſſit? (2) Romani in Magiſtratibus creandis, cæteriſque Reipublicæ partibus conſtituendis, multa cum aliis communia, nonnulla etiam propria habent; pariter ut in Iure privato: & ideo hâc in parte inter utrumque nullum diſcrimen apparet. (3) Ac ut in Iure privato, Ius Ci-

vile, si in totum à naturali ratione recedit, quando non determinat, sed magis affingit aliquid incognitum Naturâ; haut Lex, sed tyrannis est dicenda: ita pariter publicum Ius, & ipsa ratio status, naturali æquitate, rectâ ratione, usuque gentium honesto, suis tanquàm qonderibus examinanda, librandaque videtur. (Quo intuitu, D. Augustinus dixit, Regna sine justitiâ, non nisi magna latrocinia esse.) Idq; qui negant Politici, ambigo num sint Christiani: verùm sat excusati sunt meri Legistæ; non enim malitiâ sed inscitiâ peccant.

Nec etiam Ulpianus & Iustinianus, ex triplici illâ scaturigine, cùm Iuris privati deduci rivulos ajunt; Ius ideò publicum excludunt: sed potiùs quod utrique est commune, tribuunt ratione methodi tantùm uni. (1) Quodque utilitas publica, nonnunquàm privatorum negligit commoditatem; idipsum ex æquitate provenit naturali, quæ præcipit ut Patriæ pareamus. *l. 2. hoc tit.* Quin & Jus privatum respicit Justitiam Romanam, & utilitati publicæ cedit. *Val. Riemer. semicent. dec. 1. thes. 2.*

20. Jus Naturale est, quod omnia animantia docuit Natura: *§. 3. hac l. n. & in princ. Inst. d. Jure nat.* & utique non aliud est, quàm sese, ac propriam speciem conservare velle, salvumq; esse. *Mar. Salomon. ad h. l. n. § d. Jure nat. f. 6.*

Multa hic Ulpiano obiiciuntur. *v. Vallam, 4 elegant. 48. Vultej. in princ. Inst. d. Iure nat. & c. num. 3. Baronem Enenckel. 1. d. privileg. 8. nu. 31. & seqq. Donell. 1. c. 6. ubi Hilliger. lit. G Forster. tract. at. Iustin. 1. thes. 30. Bachovium ad Treutl. 1. thes. 4. lit. C.* (1) Nullam nobis cum brutis communionem Iuris esse, ajunt; cùm ea ut rationis, voluntatis, judicii ac delectus, ita & Iuris expertia existant: à quibus ideò injuriam, quæ Iuri opposita est, removet ipse Ulpianus. *in l. 1. §. 3. infrà, si quadrup. pauper.* Sanè Animam rationalem (sedem juris) nō habent bruta; & itaque δίκη οὐκ ἔστιν ἐν αὐτοῖς, quod Hesiodus ait: ac licet Divinā rationem, non tamen naturaliter participare, docet D. Thomas: *1. 2. quæst. 91. art. 2.* Divinâ scilicet reguntur ratione, propriam ipsa non habent. Et indè animalia irrationalia, contra hoc jus dilinquentia, non rectè puniri, communiter tradunt. *Speckhan. cent. 1. quæst. 84. Matth. Stephani, disput. Instit. cent. 1. thes. 7.* Hic verò ut scrupulus eximeretur, varia varii sunt comentati.

Ulpianum

Ulpianum minùs propriè, populariter & crasse loquutum esse quidam dicunt. Sunt qui Jus & injuriam in generaliori significatione sumpta, *l. 5. §. 1. ad l. Aquil.* & brutis quoq; tribui velint. *per l. 1. §. 8. & 11. si quadr. pauper. Decian. 2. tract. crim. c. 6. n. 3.* Eo, quòd Jus omne proficiscatur ex ratione Legislatoris (qui hic Deus est) nec requirat rationem illi Juri subjectorum. *videatur Hilligerus, 1. c. 6. lit. G. H. Iacob. Cramerus, disput. 1. ad Instit. thes. 10* Planissima mihi responsio videtur: Id quod animâ sensitivâ dictitante, & simplici saltem ratione informatâ, ab hominibus pro jure receptum, si & in brutis animadvertatur; rectè dici Jus Naturale. Quæ à brutis fiunt incitatione naturali, ea si homines ratione faciant, Juri Naturæ esse attribuenda. *Govean. 1. lect. 19. Cujac. in notis poster. Instit. t. d. Iure natural. &c. Petr. Faber, 2. semestr. 1. à princ. Bolognet. d. Lege, &c. cap. 6. Tileman. disputat. ff. 1. thes. 9. & seq. volum. 1. Arumæ. exercit. 1. thes. 13. Matth. Stephani. d. arte Iur. cap. 8. Andr. Gerhardi. disput. Instit. 1. thes. 5. adde Lyclam. 6. membr. ecl. ultim. ad fin. & 7. membr. ecl. 30. VVinckler. 2. d princip. cap. 8.* Hæcq; ex eo lumen accipiunt & robur, quòd Aristoteles, *1. Eth. cap. ult.* tradit: duas in animâ hominis (nequicquàm Scaligero contranitente. *d. subtil. exercit. 299. §. 2. & exerc. 307. §. 7.*) facultates esse; unam rationalem, alteram per se rationis expertem, nempè vegetativam, & sensitivam: quarum hæc quodammodò particeps sit rationis. cujus duæ inprimis potentiæ sint, sensus & appetitus sensitivus; qui in concupiscibilem & irascibilem dividitur rectè. *Iacob. Martin. cent. 1. disputat. 5. thes. 8.* Sensitivę itaque intuitu, Jus Naturæ, homini cum brutis est commune; rationalis ad Jus gentium primævum spectat. *Bolognet. de Lege Iure, &c. cap. 2.*

Hanc porrò definitionem (2) latiorem esse, ipso definito; & edere, bibere, dormire, aliasque actiones ejusmodi naturales comprehendere, nonnulli dicunt. Quin & Vaconius à Vacun. *declarat. 1. num. 9. & declar. 2. num. 9.* hâc motus ratione, quoddam itidem Jus naturale, nobis cum arboribus & herbis commune, agnoscit; omnesque omninò Naturæ inclinationes (& ipsum etiam vivere) Naturali Juri tribuere conatur. Verùm, in iis tantummodò dicimus Jus obtinere, quæ ad potentias animæ spectant, vel per se rationalem, vel capacem rationis; & quæ ideò πολιτικῶς Regi possunt: id quod de vegetativâ, nullatenùs dici

 potest.

poteſt.*Bolognet.d.c.2.Hillig.1.cap.7.lit.B. adde Boet.3.d.conſolat. Philoſoph. proſa.11.* (3) Multa quoque Juri gentium adſcripta, Juri Naturæ tribuere hæcce definitio videtur: etenim non omnis Religionis expertia eſſe videntur animalia bruta. *Pſ.147.v.9.vid.Stuckium, dec.1.Aſſert.4.* Nempè Parentes illa amant, & Ciconia cumprimis. *Bodin.1.d.Rep.cap.4.num.23.* Unde Ariſtophanes *in Avibus*: Nobis avibus Lex eſt, ait, pervetuſta in Ciconiarum tabulis; ut ſi Ciconia Parens volatiles fecerit ſuos pullos, & educârit, pulli viciſſim nutriant parentem. Sic & Accurſius, *in l.ſed & ſi lege.25.§. conſuluit.11.d.petit. hered. in verb. obligaverunt.* ad omnem creaturam exiſtimat pertinere illam obligationem; ut benefacientibus bona faciamus, iisq; *ἀντίδωρα* tribuamus. Cui opinioni ſuffragatur, quod ex Appione Agellius,*5.noct.cap.14.* refert, de Leonis, erga Androdum quendam gratitudine piâ; quæque de Canum mirâ fidelitate Camerarius coacervavit. *medit. cent. 1. cap. 14. & cent.2. cap.80.82.83.91.93.94 96.* Sunt & in beſtiis virtutes: ac ipſæ litteræ Sacræ, deprædicant formicæ ſedulitatem, prudentiam ſerpentum, columbarum ſimplicitatem. Ita viciſſim attribuitur fraus vulpi, ſævitia Leoni, ſagacitas cani, &c. *vide omninò præſtantiſſimum ſeculi noſtri Philoſophum, Michaelem Montanum.2.des Eſſais,cap.2.* Quam difficultatem removet Bolognetus.*d.Lege, &c. cap.5.nu.30.* Et horum in brutis quæ inveniuntur virtutum ſimulachrorum, & quæ non in omnibus exiſtunt; haut in definiendo Jure Naturæ rationem habere debet Jureconſultus: cùm etiam earum tam *ὅτι*, quàm *διότι* multas ipſis Philoſophis moveat lites. *v.Iacob.Martini. Colleg.Philoſophico,1. diſputat.5.theſ. 1.Ægid. Strauch.cent. quæſt.Ethic. 1.dec.4. theſ.5.*

21. An ex Jure Naturæ Matrimonium deſcendat? controverſiâ haut caret. *v.VVinckler. 3. d.princip. Jur 5.num.10.*

Bodinus,*diſtrib.Iuris fol.11.* Matrimonii hoc, ait, labefactare ſplendorem, vetitosque concubitus approbare. Attamen reſpectu diverſo, multiplici Jure Matrimonium venire, non abſonum eſt dictu. *Schneidevv: ad princ.Inſti. d.Nupt.* Connubium, id præſertim quod fiebat per conferreationem, per conventionem in manum, & coemptionem, Juris Civilis eſt Romani. Conſortium omnis vitæ, & communicationem Divini humanique Juris, adſcribo gentium Juri. Ille verò, ut Cicero loquitur, *1.offic.* communis

munis animantium omnium conjunctionis appetitus procreandi caussa; Juris est Naturæ. *Genes 1.v.22.& 28.* Indeque ex eâ conjunctione, contra Jus gentium & Civile (quæ vagam Venerem execrantur) prognatos liberos, Naturales vocitamus. *Petr.Faber. 2.semestr.1.Oeleman in Antinom. Gryphan. them.6.& disp.1.th.9.*

22. Liberorum procreatio, amor & educatio, Juris Naturalis est: *Arnisæ.polit. cap.5. f.121.* vel invito, qui de Amore hoc negat, Timplero. 2.*Oeconom.4.quæst.1.* Hincque ne Incestuosis alimenta subministrentur, non disponit Jus Civile; nec etiam id præcipere quivit. *argum. §. 11. Instit. de Jure Nat. &c. l. 8. de Reg. Jur. l.5.§.1.d.agnoscend.liber. l.un.§.1. C.d. rei uxor. action. Frid.Tileman. disputat.ff.1.thes.12.volum.1. Forster.tracta. Justin.disputat.1.thes.31. libr.1.* Dissentit *Val. Arithmæ.peric. 1. disputat.6.thes.3.*

Non refragatur Novella 89. *cap.12. & 15.* Namque Imperator semper eâ censetur uti potestate quā habet, nempè Civili. Et ideo illa Nov. sic est intelligenda; ut patrem non cogat, haut tamen prohibeat incestuosum alere volētem. Quodq; ex damnato coitu natos, nec ipso Naturalium nomine dignatur; hoc de Jure gentium primævo sumi debet, non merè Naturali. At cùm Jus Civile in tantùm amaverit castitatem, ut paternam interim destrueret pietatem; æquitas proindè Canonica, etiam ex incesto complexu prognatis liberis, Judicis officio alimenta decernit. *cap.5. extr. de eo qui ducit in matr. quam poll. &c. Gail. 2. observ.88. Grava. 2. conclus. pract.88.*

23. Itidem nullo, vel Nobilitatis, vel humilitatis habito respectu, addecere videtur: ut matres suis ipsæ uberibus nutriant infantes. *Facit l. penult. ubi Gothofred. C. d. patr. potest. Casus. Sphær.Civit. 7.cap. 17. Danæus, pol. Christ.2.cap.ult. Guevara in Horolog.Princ.2.cap.23. Zachar.* Fridenreich.*1.pol.5. Val. Arithmæus, pericul.1.disput.1.thes.5. Mambrun. Rossa. instit. Princ.c.8.*

Unumquodque enim naturaliter ex eo accipit alimentum, ex quo est generatum. *Arist 1.pol.ultim.* Et non hîc ullam nobilitatis differentiam agnoscere Naturam, ex eo apparet: quòd puerperis allusuribus, æquè ac aliis ubera dedit lacte distenta.

24. Jus gentium est, quo gentes humanæ, ut ratione prædit æ utuntur: *l.1. in fin. l. 9. hoc tit. §. 1. Instit. d. Jur. nat.* & quod ideò Jus humanum, nonnulli vocare malunt. *Petr. Faber, 2. semestr. 1 fol. 6.*

25. Jus hoc, non tam temporis, quàm qualitatis, seu ipsius rei conditionis ratione, duplex est: Primævum & secundarium. *argum. can. Jus naturale. & can. Jus gentium. dist. 1. §. 11. Instit. d. rerum divis. Ar. Pinel. ad rubr. C. d. rescind. vendit. part. 1. nu. 2. &c. Bolognet. d. Lege, Jur. & æquit. cap. 17. 25. &c. Donell. 1. com. cap. 7. Arumæ. exercit. 1. thes. 14. Forster. tractat. Justin. 1. thes. 33. Velsten. cent. quæst. polit. dec. 5. thes. 6. Stuck. dec. 1. assert. 4. Hænon. disputat. Instit. 1. thes. 10. & seq. Jac. Cramerus, disp. Instit. 1. thes. 12. & novissimè Benedict, VVinckler, 2. d. princ. Jur. cap. 9.* Contra *Corasium, 6. miscellan. cap. fin. Bronchorst. cent. 1. ἐναντ. assert. 3. Lyclamam, 7. membr. eclog. 31.* Cui consentit distinctio æquivalens, in superius & inferius, posterius & prius. *Val. Riemer. semicent. dec. 1. thes. 5.*

Primævum, seu Jus gentium merum; *l. 31. ff. depositi.* est ratio, seu rationalis animæ pars, quatenus voluntati nostræ imperat honesta, prohibetque contraria. *Bolognet. d. Lege, &c. cap. 3. n. 25. &c.* Quod à naturali ratione incorruptà procedit: *vid. tamen omninò VVincklerum, 1. d. princip. Iur. cap. 7. & 8.* adeò ut etiam locum obtinuerit, antequàm Adamus peccaret. Quod mox ortum est cum genere humano, antequàm vel gens adhuc extaret ulla. Quod hauritur ex fonte Divini Juris, & proindè Lex Divina indigitari potest. *Hænon. d. disput. 1. thes. 11.* Quodque Div. Paulus Legem vocat, descriptam in cordibus nostris: *Roman. 2. v. 15.* non alio ferè sensu, ac rationem naturalem, tacitam quandam Legem nominat Paulus JC. *in l. 7. in princip. d. bonis damnat.* quam nec ipsa iniquitas delet. *Augustin. 2. confess. 4. à princip.* Et hoc proindè Jus, haut rarenter itidem, ab hominum non rerum Naturâ, Naturale vocitatur. *§. 2. vers. Iuri enim Naturali. Inst. d. Iure natur. gent. d. §. 11. d. rerum divis. §. 1 Instit. d. obligat. quæ ex delict. l. 4. ibi: Iure naturali. item ibi: naturali ratione. hoc t. nostr. l. 1. ff. locati. l. 31. deposit. l. 1. d. acquir. rerum dom. d. Canon. Ius naturale. dist. 1. Calvin. in Lexic. verb. Ius gentium.*

Est enim

Est enim Juris naturalis interpretatio duplex: *Ravard. 1. variar. 1. & innuu supra §. 18.* aliudque habetur, κατ' ἐξοχὴν Naturale ab Ulpiano dictum, *h. l. nostr. §. 3.* quod scilicet Natura per se, non ex ratione dictat. *Lopez. animadvers. cap. 1.* Aliud hominibus propriú, quod naturalis nempè ratio pura, inter solos, & omnes homines firmavit; *l. 9. in fin. hoc tit. nostr. §. 1. Inst. d. Iure natur. gent. VVinckler. 1. d. princip. Iur. cap. 9.* & minùs quàm illud naturale videtur: nam licet Naturâ nobis insint semina virtutis; magis tamen nobis inest vis generandi. *Strauchius, illustr. quaest. Ethic. dec. 5. thes. 3. cent. 1.* Hocque (ut jam est edoctum) primaevum, seu in statu integritatis proditum, *Marant. in speculo, part. 3.* haut perperam appellatur. Secundarium verò seu excogitatum vocant; quod usu exigente & humanis necessitatibus, gentes sibi constituerunt: *§. 2. Inst. d. Iure nat. &c.* quod tum esse cœpit, cùm & Civitates condi, & Magistratus creari cœperunt. Quod à ratione naturali, non ab initio, sed supposititiè; per discursum aliquem practicum oriri videmus. Non quòd in unum aliquandò convenerint gentes, hancque sanciverint speciem Juris: sed quòd successivè omnibus visum est placere; id totius orbis decretum fuisse existimetur.

Nec hanc distinctionem improbat, sed firmat magè Justinianus; cùm *in §. 1. Instit. d. Iure nat. gent. &c.* Jus gentium vocat, quod ratio naturalis constituit inter omnes gentes: & mox *§. 2. tit. eod.* subjungit; gentes humanas Jura quaedam sibi constituisse. Et cùm eorum, quae Juri gentium passim adscribunt nostri Jureconsulti, aliqua ex Naturâ, alia ex positione gentium descendant; necessariò proindè, duplex Jus gentium erit constituendum. Quae tamen omnia, non opus est ex Legibus ut firmemus: haut enim potest Princeps in his ponere Leges, quae concernunt Philosophiam; nec harum rerum olim (ut & hodiè) Jureconsulti optimi fuère indagatores.

Jus gentium primaevum, est Jus quod docet Philosophia: & ex hujus Juris inter omnes homines communione, eleganter probat Antoninus Imp. *lib. 4. d. vitâ suâ. fol. m. 20.* Mundum unam Civitatem esse. Hocque si homines regerentur solo, rediret felix nimiùm prior aetas: quod Divinus Boetius innuit, cùm *lib. 2. d. consol. Philosoph. metro ult.* canit;

O felix hominum genus,

Si vestros animos, amor
Quo Cœlum regitur, regat.

At hoc malitia, humanæque naturæ depravatio, haut admittit. v. *Benedict. VVinckler. 4. d. princ. Iur. cap. 1. & 2.*

Lex 2. tit. 1. Lib. 1. ff.

1. Ea erga Deum Religio, quæ hîc Naturali Juri à Pomponio assignatur; alia est ab eâ, quam nos veram docet Sacrosancta Scriptura. *VVinckler. 3. d. princip. Jur. cap. 3. à princip. & dixi ego disp. pol. 1. thes. 7. in notat. sub num. 1. & 2. class. 1.*

Omnes, modò sint sanæ mentis, communi fatentur consensu, Deum religiosè colendum esse; & Deum existere æternum, commune judicium est cunctorum degentium ratione, ut Boetius ait: *5. d. consol. Phil. pros. 6.* ac propterea Aristoteles etiam, *1. Topic. cap. 9.* castigatione & pœnâ dignos judicat eos, qui utrum Deus honorandus sit? dubitare audent. *Lyclama, 7. membr. eclog. 41. fol. 385. Timpler. 2. Eth. cap. 1. quæst. 12.* Et naturali lumine, quòd Deus sit, cognosci posse, multis docet Henning. Arnisæus, *in Epit. Metaphys. fol. 285. &c. Strauch. quæst. illustr. Ethic. cent. 1. dec. 7. thes. 1. adde Iul. Cæsaris Vanini amphitheatrum ætern. provident. ubi cap. 2. pro humano captu, quid Deus sit? explicatur.* Ac ita quoque Tragici Poëtæ omnes, ad hanc admonitionem suas Tragœdias accommodare solent; ut ex observatione pœnarum Mortales discant: Esse mentem Divinam, inspectricem humanarum actionum, quæ regulariter atrocia scelera atrocioribus calamitatibus punit; Iustis autem & bonis, tranquillum largitur cursum. *Richter. axiom. hist. 55.* Attamen pietas & Religio sincerior, de redemptionis, justificationis, sanctificationis, &c. mysteriis (& quoque de Prophetiarum, quæ nos erudit intellectu occultiori. *2. Petr. 1. v. 20.*) temporibus secularibus tacita, omnique abscondita carni; ex solo descendit auditu verbi θεοπνεύστου, & Sapientiæ humanæ scandalum existit. *Matth. 16. v. 17. Rom. 10. v. 14. 1. Cor. 1. v. 23.*

2. Parentes amare, omnium animalium est; Parentibus obsequi, hominum proprium esse videtur. *Pet. Faber. 2. semestr. 2. vid. etiam Timplerum, 2. Oeconom, 4. quæst. 2.*

Et hoc

Et hoc est quod Patria potestas, Iuri gentium (primævo scilicet) adaptatur: quamvis indem suo modo, Iuri Civili non inscitè adscribatur. *vid. §. 2. Instit. d. patr. potest. §. 1. quibus modis Ius patr. potest. solv. Vacon. à Vacun. declarat. 8. Bodin. 1. d. Rep. 4. & idem Meth. histor. cap. 6. Theod. Marcil. ad L. XII. Tab. §. 34. fol. 106. & dixi disput. pol. 10. thes. 37. in not. class. 1. & disp. ad 1. & 2. lib ff. thes. 3.*

3. Obsequium autem, quo Liberi Parentibus summè sunt obstricti, adeò semper ab omnibus haberi debet sacrosanctum; ut nec erga Parentem, etiam infamem, rigidum, intractabilem, & impium, cessare sit putandum. *Henr. Velsten. cent. quæst. polit. dec. 3. thes. 1. & 3.*

Ubique enim hoc valet: Pater est. Ergò honorandus. Temperamentum verò nobis hâc in parte monstravit Div. Paulus; qui parendum & obsequendum Parentibus præcipit indefinitè, *κατὰ πάντα: ad Coloss. 3. vers. 2.* sed *ἐν κυρίῳ. Ephes. 6. v. 1.* hoc est; eatenùs, quatenùs Deo suus honor salvus & incolumis manet; nec pater omnia jura exuit humana. *v. quæ dicam infra, ad l. 5. §. 9. hoc tit. nostr.*

4. Sed utrumne Filius in Magistratu constitutus, Patri privato est præferendus; eique loco cedere atque assurgere debet?

Hic Tauri Philosophi decisio arridet. In publicis locis atque muneribus, actionibusque, Patrum jura, cum Filiorum qui in Magistratu sunt potestate collata, paululum interquiescere, & connivere: sed cùm extra Rempublicam, privatim in domesticâ re, atque vitâ sedeatur, ambuletur, aut in familiari convivio discumbatur; tunc inter Filium Magistratum, & Patrem privatum, publicos honores cessare, naturales & genuinos exoriri. *Agellius, 2. cap. 2. Iustus Mejerus, in quæstionib. ex libro 1. ff. desumpt. thes. 16. Velstenius suprà dictâ dec. thes. 4.* Sicque capio quod scribunt Baldus, & Ludov. Romanus, *ad l adoptivum. d. in Ius vocand.* etiamsi filius dictaturâ Ecclesiasticâ ornetur; patrem tamen is debeat revereri. Erravit ergò Laurentii Celsi, Venetorū Ducis Pater, dum filio recens Duci creato obviam ire recusavit; ne coram filio caput aperire, & patriam potestatem vilem facere cogeretur. Rectiùs Fabius Gurges: qui cum Consul esset, & patrem Proconsulem sibi obvium haberet, patrem equo descendere jussit, & pro more pedirem ad Consulem venire. *Val. Max. 2. cap. 2. Plutarch. in Fab. M.*

Hu-

Hunc enim laudavit optimus Pater, hortatus ut isthâc gravitate, pergeret auctoritatem Populi Romani tueri. Indeq; in publicis, non valet Patria potestas. *l.9.d.tit.qui sui vel alien.Iur.cum simil.*

5. Sicque Patriæ magis quàm Parentibus, si diversa præcipiant, optemperandum esse reputamus. *l. 19. §. 7. d. captiv. & postlimin. reverſ.l.1.§.15. d. ventre in possession. mittend. l.14. in pr.ad SC.Trebell.l.35.d.relig.& sumpt.funer.*

Plura beneficia Patria continet; & est antiquior parens, quàm is qui creavit: major profectò ei, quàm parenti gratia debetur: ait Cicero, *1.d.Rep.Colerus,parerg.cap.34.* Et idem, *1.offic.* Chari, inquit, Parentes, chari liberi, chari propinqui, familiares: sed omnes omnium charitates, Patria una est complexa. *Adde Val.Max. lib.2.cap.7.exempl.3.& seq. Everhard in Topic.loco ab ordine. num. 18. Zachar.* Fridenreich. *Polit. cap. 24. fol. 635. &c.* Adeò, ut si Patria periclitetur, & periclitentur simul parentes, nec utrisque succurrere possibile fiet; Patriam magis servare debeamus: *Keckerman. disputat. pract. 22. problem. 24.* & pater Patriæ proditor, interfici possit. *d.l.35.d.religioſ. Adelb.Burckhard.in append. tract. Val.Voltzii,d. Sicar.fol.175.lit. p. Arumæ.exercit.ultim.thes.15.* Diss *Bodino, 1.d. Rep.4. num.26.* Et censet Machiavell. *3. discurs.ad Livium, cap. 41.* Patriam semper defendendam esse, etiam inhonestè. Sed mirabiliter apud Trajanum Boccalini, *2.d.ragguagli di Parnaſ. cap.31.* hanc Brocardicam limitat Cato: cùm veriverbio vulgari, Pugna pro Patriâ (τῇ liberâ) subjunxit.

Consectarium horum est, Patriam sine veniâ in Ius vocari non posse. *Speckhan. 1. quæst.53.* Et hàc etiam ratione defendi potest, quod sancit Ius Feudale; *in cap. unic. §. fin. tit. 28. libr. 2. Feud.* Domino auxilium ferre debere Vasallum, etiam contra Patrem: putà si Dominus sit Princeps, & ita Rempublicam ac Patriam repræsentet. *Quâ de quæstione videre licet Vultejum, lib.1.d.Feud. cap. 10. num.53. Harpprecht, ad §.5.num.198.Instit.d.public.Iudic.Bocer. d. Investit.cap.4.num.34.& tract.de Iure Domin. & Vasall.lib.1.cap.4. num.57. &c.Herman.Kirchner.Orat.Marpurg.7.& 8.Maulium, tract. d. homag. cap.5.num.16.&c.Hœnnon.disput.d.Reg.Iuris 3.ad l.8. quæst.2.*

6. Patriæ parere debet etiam Princeps: & ideò salutem publicam propriæ tenetur utilitati præferre; Legesque sunt, quibus

quibus Reipublicæ & is etiam est adstrictus, qui in eâ potestate fungitur summâ. Sanè tempestas ea non potestas esset, si aliter eam interpretaremur. Quâ de re alibi ago, *tr d. appellat. cap. 1. ad fin. disputat. Politic. 1. thes. 34. &c. disput. 2. thes. 3. & seqq. ac ibid. thes. 40. &c. Class. 1.*

Lex 3. Tit. 1. Lib. 1. ff.

1. Vis atque injuriæ propulsatio, in gentiumné Juris, an Naturæ sedem sit adscribenda? in dubium maxumè ac incertum revocatur.

Eam ex Jure descendere naturali (1) auctoritas arguit Juris nostri conditorum. Adversus periculum se defendere, naturalis ratio permittit. *l. 4. in princ. ad l. Aquil.* Vim vi repellere licet, idque Jus naturâ comparatur. *l. 1 §. 27. infr. d. vi, & vi armat.* Accedit huc, quòd in brutis quoque, defendendi jus considerant Jureconsulti. *l. 1. §. 11. si quadrup. pauper.* (2) Idem arguit ratio naturalis: quia nempè principiò generi animantium omni, à Naturâ tributum videtur; ut se, vitam, corpusque tueatur. Hinc Propertius, *2. eleg. 5.*

Non solùm taurus ferit uncis cornibus hostem:
Verum etiam instanti, læsa repugnat ovis.
Et *in Halieut.* Ovidius:
Accepit Mundus legem, dedit arma per omnes,
Admonuitque sui: & vitulus sic namq; minaci
Qui nondùm gerit in tenerâ jam cornua fronte,
Sic damæ fugiunt, pugnant virtute leones,
Et morsu canis, & caudæ sic scorpius ictu,
Concussisq; levis pennis sic evolat ales:
Omnibus ignota mortis timor, omnibus hostem,
Præsidiumque datum sentire, & noscere teli
Vimque minasque sui, &c.

Proverbium est vetus, & Formicæ suam inesse bilem. Indeque Brasidas apud Plutarchum Nullum est animal, ait, tam pusillum, quod lacessitum se non cupiat ulcisci. & Plinius alicubi N lla

est, inquit, bestia, cui non sit ira; non sit animus injuriæ impatiēs, & prompta si noceas ad se defendendum alacritas. Ac Minut. Felix. Quid animantium, ait, loquar tutelam multifomem? alias armatas cornibus, alias dentibus septas, & fundatas ungulis, & spicatas aculeis, aut pedum celeritate liberas, aut elatione pinnarum, &c. Et sic sui defensionem perperàm gentium tribui Juri, JCCti præstantissimi contendunt. *Govean. 1. varior. 20. Rainald. Corsus. 3. indagat. 2.* Eoque nomine Donellus, *lib. 1. comment. cap. 7.* ac Timæus Faber, *disputat. anniversar. 3. thes. 2.* Legem hanc nostram, non ad amussim autumant cum superioribus cohærere.

Vicissim defensionis facultatem, Jurigentium tribuit (1) Legis nostræ connexio cum præcedenti. (2) Tribuit ratio Legis ejusdem: dùm nimirùm ita argumentatur Florentinus JCtus. Inter homines cognationem quandam constituit natura. Ergò, hominem homini nefas est insidiari. Et quia non licet homini hominem offendere. Ergò, vim atque injuriam propulsare concessum erit. Natura quippè prohibens offensionem, eo ipso concedit defensionem. Huic sententiæ (3) Canonicum Jus robur addit: *in can. Ius naturale. dist. 1.* ubi Juri hominum proprio, violentiæ vim repulsionem adscribi videmus.

At rectiùs cum Paulo JCto, *in l. 45. §. 4. ad l. Aquil.* dici posse videtur: vim vi defendere, permittere omnes Leges, omniaque Iura; hoc est, Naturale, Gentium & Civile. *Cujac. 5. observ. cap. 18. Prosp. Farinac. part. 4. tit. d. homicid. quæst. 125. nu. 10.* Nec infrequens esse, ut res una eademque, diverso jure censeatur; Matrimonium suprà nobis præbuit paradigma. *v. quæ dicta ad l. 1. §. 21. hoc tit. nostr.*

Quo autem respectu defensio, vel Naturæ, vel Gentium, aut Civilis Iuris dici mereatur? ambigitur rursùs. Sunt qui isthanc Iure naturali introductam, gentium & civili approbatam existimârint. *Decianc 2. prax: criminal. cap. 6. num. 7. Hillig r. ad Donellum, 1. com. cap. 7. lit. I. Helfr. Vlr. Hunnius. disputat. ad Instit. 1. thes. 12.* Verùm (ut mox dicam) non simpliciter Ius gentium rectaque ratio, confirmat Iure naturali proditam defensionem, sed & eam limitat atque coercet. Alii propulsionem violentiæ, Naturali; contra injuriam quæ est defensio, Iuri gentium assignant: *Coras. l. 11. 3. &c. Pacius, Antinom. cent. 1. quæst. 1. Cramer. disputat. Instit. 1. thes. 11. & 13. Hænnon. disput. Instit. 1. thes. 11.* eò quòd injuria haut in bruta cadat.

l. 1. § 3. ff.

l.1.§.3. si quadr. pauper. At quia (1) injuria ingeneraliori significatione sumpta, *l.5. §.1. ad l. Aquil.* aliquo etiam modo competit brutis; *ut innui suprà ad l.1.§.20.* (2) quia hîc ICtus, vis atque injuriæ propulsionem conjungit: & quia (3) Ius gentium, seu ratio recta, etiam contra vim sine injuriâ, nobis (à furioso, &c. putà) illatam, propellere concedit (*quod ad h.l. infr. §. 8. docebo*) huic ideò opinioni subscribere non possum. Sic ergò censere placet: Impetum & inclinationem quandam, quâ nocitura declinent, vindictamque sumant, etiam brutis inesse; vim atque injuriæ propulsationem justam & moderatam, descendere à solâ rectâ ratione, seu Iure gentium primævo (ita ut huic magis quàm Iuri naturali, Defensionem conveniat accumulare; quia nempè haut ea meretur nomen defensionis, si absit moderamen rationale). Modum quo nos commodè atque artificiosè tueamur, Ius gentium secundarium docuisse: hæcque omnia Ius demùm civile confirmâsse, atque dilucidiùs explicavisse. *Petrus Faber. 2. semestr. 2. fol. 22. Obrecht. tract. ad h. l. nostr. cap. 4. num. 7. Lyclama, 7. memb. eclog. 42. Dn. Bocerus, d. duello. cap. 10. num. 15. Arumæ. disputat. ad ll. præcip. 1. th. 1. quæst. 1. Iohan. Stuckius in Isagog. defens. lit. A.* Et itaq; erroris convictos habemus eos, qui statuunt numero magno; inculpatæ tutelæ moderamen, etiam originis ratione Iuris Civilis esse. *Farinac. d. quæst. 125. num. 334. & post Bocerum, d. cap. 10. nu. 21. 23. Hœnnonius, d. thes. 11. Anton. Matthæ. disputat. pandect. 1. thes. 6. Bened. VVinckler. 4. d. princip. Iur. cap. 10. & 11.* Contra *Iohan. Bolognet. hîc. num. 63. & Ludov. Charondam. 1. verisimil. 1. sect. 3.* Vindicta etenim & propulsatio, moderamen excedens, cùm iniqua & injusta existat; Iurigentium primævo (utpotè æquissimo & Divinâ providentiâ constituto, *§. 11. Instit. d. Iure nat.*) nullatenùs attribui potest.

2. Et magis est, ut in foro, quem Poli seu Animæ vocant, tutum quoque esse, qui vim vi repellit, dicamus. Contra Glossam, Bartolum & Jason. *hîc* Covarruviam, *de Sponsal part. 2. cap. 8. num. 16. & seq.* Johan. Gersonem & alios, adductos à Ludovic. Lopez, *Instruction conscient. cap. 6. part. 1. versic. non peccat.* & Petr. Binsfeld. *tract. de injur. & damno, cap. 1. quæst. 5. conclus. 1. in princ.* Cum D. Thomâ. *2. 2. q. 26. art. 3.* Matt. Chemnit. *tom. 2, locor. com. fol. m. 353. t. d. vindict. quæst. 3.* Danæo, *Ethic.*

Christian, 2. cap. 13. Johan. Forstero, *disp. ad Decal. dec. 2. probl. 5.* Gregor. d. Valentia. *tom. 3. disput. 5 quæst. 9.* Ferdinand. Vasquio. *Illustr. cap. 18. num. 11.* Dn. D. Harpprechto. *ad §. 5. num. 148. de public. judiciis* (quem benè contrariis respondere, attestatur Farinacius, *d. quæst. 125. n. 20.*) Obrecht. *hîc, cap. 1. num. 9.* Bernh. Grævæo, *2. conclusion. pract. 110. considerat. 1. à princ.* Arumæ. *disputat. ad ll. præcip. 1. thes. 1. quæst. 2.* Goglen. *eth. quæst. 115.* Clemen. Timplero, *3. Ethic. cap. 10. quæst. 29.* Ægid. Strauchio, *Illust. quæstion. Ethic. Centur. 1. decad. 8. thes. 9.*

(1) Jus naturale sive gentium, Jus Divinum est, *can. 1. & 2. dist. 1. §. 11. Inst. d. Iure nat. gent. & civil.* Ergò cùm Jure naturali humano, seu gentium primævo, vis & injuriæ propulsio concedatur; Iure Divino hoc nobis concessum esse, existimari debet. (2) Lex quoque Mosaica huic sententiæ favet: etenim furem nocturnum, domum saltem effringentem occidere permittit; cùm non tantùm furandi, sed & vitæ insidias struendi gratiâ, venisse præsumatur. *Exod. 22. v. 2.* Et etiam occisi propinquis, dolosum homicidam, sibi fortè obviam factû, interficere concedit. *Num. 35. v. 19.* (3) Omnium itidem gentium mores & cõsuetudines hîc concordant. *Clar. §. homicidium. nu. 19.* Nec historiarum monumenta, ullam nobis referunt Nationem, præter Garamantes; qui omnium hominum commercium aspectumque fugientes, ne defendere quidem se audebant. *Herodot. Melpom.* (4) Quia Apostoli Christum sequentes, gladios gestârunt: & hoc quia illis non prohibuit Salvator; nec ideò consequens ei displicuisse, probabile videtur. Et (5) contraria opinio, magis opprimenti, quàm innocenti favet: magnamque probos offendendi, malis hominibus præberet occasionem; si nempè hi certi essent, ab illis injuriam non repulsum iri.

Haut nobis refragari autumamus, Matthæi *caput. 5. vers. 39. & 40. cap. 26. v. 52.* Apocalypseos *cap. 13. vers. 10.* Non etenim tuitionem sui, prohibent illi textus: sed ipsum defensionis necessariæ actum, apud Deum peccati reatu non vacare docent; si comitem habeat pravum aliquem affectum. Etenim quemadmodum Divus Paulus, *1. Cor. 7. vers. 29. &c.* ab omni exigit Christiano; ut qui gaudent, sint tanquàm non gaudentes, qui emunt ut non obtinentes;

tinentes: ita Christus (qui animum inspicit semper) eò loci præcipere videtur, ut nudè & purè tui defensionem, non proximi occisionem intendes: hoc est, licet aliter te defendere non possis, animo tamen dolenti commiserantique, adversarium eneces; ut ità occidens, ratione voluntatis & intentionis, non occidere videaris. Hocque idem esse censeo cùm eo, quod Scholastici docent; occisionem non debere finem esse inculpatæ tutelæ. *v. Obrecht. ad h. l. n. cap. 12. num. 4.*

At instat quis ultrà. Salutem animæ proximi, præponere nos debere saluti corporis nostri: sicque, cùm aggressor verisimiliter in peccato mortali sit constitutus, non eum occidendum esse, ne anima simul cum corpore extinguatur: quo argumento nititur Gerson. Verùm haut peccare videtur, qui Iure utitur sibi à Deo & Naturâ concesso; licet id cum alterius, vel animæ vel corporis jacturâ sit conjunctum. Et siceum, in terminis legitimæ defensionis qui est constitutus, executorem reputo decreti justi, quod contra talem temerarium invasorem, pronuntiat Divina Majestas. *argum. Exod. 21. vers. 13.* Cum autem, defensio legitima quoque, an habeat peccatum, apud Iureconsultos & Theologos, res sit tam controversa & plena dissensionis: hoc omnes Christianos à rixis & altercationibus; omnibusque rebus quæ culposis homicidiis præbere possunt ansam, absterrere meritò debet.

3. Annè verò peccat, qui se non defendit, morivè mavult, quàm adversarium vitâ privare?

Sese non defendere opus esse perfectionis, post Div. Thomam, Dominicum à Soto, Iohan. Gersonem & alios, adstruunt Vasquius. *illustr. d. cap. 18. num. 7.* & Binsfeld. *d. quæst. 5. conclus. 7.* Iac. Ayrer. *in proleg. tract. ad hanc l. nostram. num. 39. & 85. & part. 1. n. 395.* utrumque licere scribit, defendere se, & non defendere; haut secus ac testamento condito, vel ab intestato decedere, contrahere matrimonium, vel vivere in cælibatu. Etenim cùm Iura atque Leges, defendendi facultatem largiantur; iis uti vel non uti, liberum esse ait. *argum. l. 31. ff. l. 29. ad fin. C. de pact. Socin. reg. 419.*

Verùm qui se contra vim illatam haut defendit, non minus peccare, ac si ipsemet sibi manus inferret, ex Castrensi & aliis, adocet Obrechtus, *hic. cap. 1. num. 23.* Ut & Hilligerus, *ad Donell. 1.*

cap 5. lit. E. ad fin. scribit jubere Legem Naturæ magis, quàm permittere defensionem. Fundamento quo nituntur, est (1) vulgatum illud; neminem esse Dominum suorum membrorum: *l. 13. in princ. ad l. aquil.* neminemque renuntiare defensionibus suis; aut alterius privatæ potestati tradere se posse. *Decian. prax. crim. 2. cap. 7. num. 11. &c.* (2) Impingere contra præceptum charitatis, quòd vult; ut non minùs nos ipsos, quàm proximum diligamus.

Ego hic distinguerem inter eum, qui insano quasi impetu, amplectitur mortem, quam ipsi alius intentat; & inter illum, qui dum adversario vitam & resipiscentiam salvam cupit, negligentiùs se se defendendo occumbit: ac ut hic laude; ita ille peccati adversus semetipsum & Rempublicam commissi, reus quodammodò videtur.

4. Vocari hîc & illud in quæstionem potest, formulamque Declamationis præbuit nonnullis: rectène fecerit D. Laurentius, quòd Urbis Præfecto, Imp. Decii nomine Thesauros Ecclesiæ petenti, sese opposuit; & vitam potiùs amittere, quàm imperata facere voluit? Affirmant Rudolph. Goclenius, *quæst. Ethic. 96.* Strauchius, *Illustr. quæst. Ethic. cent. 2. decad. 5. thes. ultim.* Jacob. Martini. *Centur. 9. disputat. ult. thes. ult.*

5. Ob homicidium sui defendendi causâ perpetratum, nemo vel à Principe, consuetudine vel statuto puniri potest. *Vasquius Illustri. 18. à princ. & cap. 36. num. 5. Anton. de Petra, de jure quæsito non tollend. cap. 26. Prosp. Farinac. d. quæst. 125. num. 12. & c. Matthias Stephan. disp. ad Institut. Centur. 1. thes. 10.*

Saxonico quidem Iure, nec hoc casu potestas est impunè homicidium committendi: Dañ er wirdt dem Richter in die höchste wette/vnd des entleibdten Friedschafft/in ein Wehrgelt verdam̃et. Sachsenspiegel. *2. Art. 14. Zobel. part. 4. different. 29. num. 6.* Sic & in Poloniâ quoque, se se defendendo interimens quenquam, pecuniariam sustinet pœnam. *Royzius, in præfat. dedicator. Lithuanicar. Decisionum.* Sic itidem veteres, in hominum quâcunque cæde, expiatione opus esse, existimârunt. *Beza, ad Matth. cap. 27. vers. 24.* Sed (ut jam evici. *suprà h. l. §. 1.*) defensio omni Iure est permissa: & qui potest esse pœna, ubi nullum est delictum? *l. 22. C. d. Pœn. fac. l. 131. in princ. d. verb. signif.* Nec etiam Princeps supremus, quamvis

summâ

summâ & absolutâ potestate uti velit, Iuri Naturali, rectæque rationi (quibus quoque consonam esse sui tuitionem, constat) derogare quicquàm potest. *argum. l.64.d.condict.indeb.§.11.Inst.d.Iure nat.* & rectè ac piè Bodinus, *1. d. Rep. 8. nu. 102.* capitaliorem fraudem esse scribit, imbuere Principem aliâ disciplinâ, quàm præstari. Nulla enim auctoritas efficere potest, ut Princeps non censeatur animal rationale, & mortale: nulla eum humana majestas absolvere potis est, à Lege Naturæ, vel dictamine rectæ rationis. Undè & Leges, ac quicquid agit Princeps vel Legislator, secundum Naturam fieri debet. *Argum. §. 4. Inst. d. adoption. Illustris Ε-nenkel.1.d.privileg.5.nu.23.*

Ex his quæ præcesserunt, efficaciter colligere licet: (1) Defensorem, haut fractæ pacis incurrere pœnam, sive ea legalis sit, sive conventionalis: nec item puniri posse eum, der in dem Burgfrieden / sui defendendi causâ, aliquem offendit, *ut innui disp.pol.12. thes 7.in notis, num. 4.* (2) Non, ob sui defensionem si donatorem interficiat, donatarium re donatâ privari posse. *Obrecht. hîc, cap. 12.num ult.*

6. Cùm defensio ex jure naturali, & gentium (quòd suprà assertum est) descendat: exindè cujuscunque sortis hominibus eandem competere, palàm fit. *Hâc l.nostrâ. ibi: quod quisque. l.14.de Oblig.& Act.* Adeò ut ipsis Apostolis, Monachis & Clericis, etiam dum Sacra peragunt, haud illam denegare audeant Nostrates. *Clement. unic. de homicid. Gail.1.de pace public.6.numer.9.& lib.2.observat.110.nu.11.Farinac.tract.criminal.part.5. quæst.125.num.29.*

Ius equidem naturale, omnibus hominibus est commune. *l. 9. hoc tit.* Neque is qui Religioni arctiùs est addictus, Privilegia illa amittere videtur, quæ Natura, rectaque ratio hominibus largiuntur.

7. Banniti, & in crimine capitali damnati, an se defendendo protegere queant; aut delicta delictis, hoc si faciant, accumulare censeantur? hic itidem est quæstionis.

Bannitos retinere quæ Iuris gentium sunt; & proindè statutum, quod permittit contra exulem sævire, non ei idcirco adimere

mere defenſionem, ex ipſius Naturæ ſenſibus promanantem, docent Menochius *arbitr. 1. quæſt. 89.* Clarus, *§. homicidium. num. 52.* Obrecht. *hic, cap. 5. num. 10.* Gothofredus, *in l. 4. ad l. Aquil. lit. c.* Quod, ut in Bannitis Italiæ & Hiſpaniæ, ac iis quoque, qui à Camerâ Imperiali, & Dicaſterio Rottvvilenſi, ob contumaciam aut leviuſcula delicta alia, proſcriptione notantur, locum tueri concedam: Cammergerichts Ordnung *part. 3. tit. 43. §. 3. ibi:* ſolches Aechters Haab vnd Gut. *Vide* die alte Rottweiliſche Hoffgerichts Ordnung *part. 9. tit. 18. 28, & 29. Et* Reformirte Rotweiliſche Hoffgerichts Ordnung *part. 3. tit. 14.* (Non etenim hoſtes dici queunt, qui ad evitandum ignominias Legũ peregrinantes, nihil contra patriam moliuntur: ac etiã non privatos, ſed ipſos tantùm Judices Legum adminiſtros eſſe decet) Ità vicisſim vim ſuam hæc deciſio perdere videtur; ſi quis ob pacem publicam violatam (als ein Friedbrecher) vel atrocia ob crimina ſit bannitus. Talis etenim, cùm hoſtis Imperii publicus habeatur (undè & Germanis Aechter, ad Græcæ vocis ſimilitudinem, quaſi hoſtes indigitantur) legumq; & ſocietatis vincula ſolvere nitatur; haud perperàm idcircò cujuſlibet offenſioni expoſitus reputatur. *Argum. l. 3. §. ultim. ff. de ſicar. l. 35. ff. de religioſ.* Cammergerichts Ord. *part. 2. tit. 9. §. 2. ibi:* deſſelben Leib vnd Gut. *Bocer. d. crim. Majeſt. cap. ult. n. 5.* Hocque legis civilis imperatum, ſalvâ conſcientiâ exequi poſſe Chriſtianum, dicunt: ſi (1) conſtet, juſtiſſimis illum de cauſis eſſe damnatum; (2) ſi appareat, ejus vitam non obeſſe ſolùm Reipublicæ, ſed iram Dei juſtiſſimam ſuper nos provocare: & ſic naturali ratione ſuffultum ſit civile hoc ſtatutum. (3) Ac ſi id non fiat ex privatæ cujuſdam vindictæ affectu. *Danæus Ethic. Chriſtian. 2. cap. 13. fol. 183. Iacob. Cramer. diſput. ad Inſt. ult. theſ. 15. Strauch. parte 2. decad. 5. theſ. 8.* Hoc ergò in caſu, cùm aggreſſio ſit licita (cumque agreſſor jus offendendi, à Magiſtratu, & ita jure gentium ſit nactus. *argum. l. 2. ibi: ut patriæ pareamus. hoc tit. noſtr.*) ex correlativorum certè naturâ, inobedientiam & delictum multiplicabit defenſio. *Ayrer. part. 1. num. 415.* Quod pariter in iis obtinet, de quibus ſupplicium eſt publicè ſumendum. *Iohan. Guttierrez. 2. Canonicar. quæſtion. capit. 24. Ayrer. parte 1. numer. 412.* Cùm Magiſtratui reſiſtens, Divinæ ſeſe opponat ordinationi. *Roman. 13. verſ. 1. & ſequent.*

Nec im-

Nec impedit, quòd illud ad quod inclinat Natura, semper licitum censeri possit: & ipsa inclinatio Naturæ, ad resistendum corrumpentibus maxumè sit prona. Ideò namque homini ratio est data, ut ea ad quæ Natura vergit; non passim, sed secundum rationis ordinem exequatur. Ac idcircò, non licita est quælibet defensio sui; sed illa solùm, quæ rationabilis existit.

8. Ut autem quisque se tueri potest; ita contra vim à quocunque illatam, Defensio est permissa. *l. 2. C. de Sicar. l. 5. in prin. ff. ad leg. Aquil.* Etiam contra furiosos, mente captos, noctu ambulos, &c. *Dn. D. Bocer. d. duello, cap. 10. n. 17. Obrecht. hîc, cap. 6. num. 56. &c. Ayrer. part. 1. num. 65. Johan. Stuck. in Isagog. defens. sub lit. A.*

Non etenim requiritur injuriandi, visque faciendæ propositum; sed sufficit de facto vim inferri: nec opus est, ut animum intueamur. Facto resistimus quod violentum est, & nos lædere potest; licet animus ab injuriâ sit immunis. *l. 26. ff. §. 1. Inst. de injur.* Consideratur quippè hoc casu injuria, non respectu inferentis, sed injuriam passi. Quodque furiosus aggressor occidi potest; non hoc offensionis vitio contingit, sed propter naturam defensionis: quæ est generalis, & saltem respicit corporis tutelam, non mentis integritatem in aggressore.

9. At an Filio contra Parentem defensio detur, quæstionis est arduæ magis? Affirmat praxis & communis interpretum Schola. *teste Ayrero, part. 1. num. 69.*

E contrà Bodinus, *1. de Rep. cap. 4. num. 26.* mirè commendat Serviam Legem, hisce verbis conceptam: Si parentem puer verberit, ast olle plorassit, puer Divis sacer esto. Nec modò, non licere Patri obsistere vim inferenti, aut illatam injuriam propulsare; sed & nec id scribi quidē sine impietate posse, ait. In eâdem ferè sententiâ est Clarissimus quondam Tubingensis Academiæ Antecessor, Valentinus Voltzius, *in comment. ad l. Cornel. de sicar. cap. 7. num. 23.* qui inquit: Filium qui morti fera Patris verbera declinare minimè potest; mortem etiam diram atque acerbam à Patre imminentem, patienter potiùs excipere atque perferre debere; quàm ei eripere vitam, cui post Deum vitam debet. Hosq; sequitur *hîc* Obrechtus, *cap. 6. num. 17.*

Ex capite Legis 12. Tabular. patri olim poteſtas fuit filium vinciendi, virgandi ſeu ſcopandi, in Ergaſtulo habendi, vendendi & occidendi. *l. 11. in fin. d. lib. & poſthum. l. final. C. de patr. poteſtat. Theodor. Marcil. in interpretamento Leg. 12. Tabular. ſection 34.* Hoc licet vitæ necisque arbitrium, rectè hodie ſit ademptum: *l. unic. C. d. his qui parent. vel liber. occider. l. 3. & 4. C. de patriâ poteſtat. tot. tit. C. de emendat. propinquor.* Sicut contra Bodinũ pervincunt Arniſ. *cap. 5. Polit. fol. 118.* & Herman. Kirchner. *diſp. de Republ. 1. theſ. 6.* Idq; inprimis depravato hoc ſeculo, parentibus minimè concedendum videtur. Attamen ſi pater intra terminos licitæ caſtigationis ab initio conſtitutus, irâ juſtoque dolore, extra illos tranſportetur, tum minimè filium impunè reſiſtere, vel patrem unquàm occidere debere, putarem. Si etenim Miles, qui vitem Imperatoris (nam vitibus olim Milites cædebantur) ſe jure vel injuriâ verberantis confregiſſet, capitale ſupplicium merebatur; *l. 13. §. 4. ff. de re Militar.* quomodò pœnam non majorem incurret, qui Parenti manus intentârit? Filio ſemper ſanctam & honeſtam Patris perſonam videri debere, reſpondet Ulpianus, *in l. 9. ff. d. obſequ. Parent. vel Patron. præſtand.* Quod de ſervis alibi præcipitur, ad Filios hic rectè accommodatur: Eos patris ſalutem ſuæ anteponere debere. *l. 1. §. 28. ad SC. Syllanian.* Sic & Plato. *lib. 9. d. Legib.* Filio, ait, ne pro defenſione quidem ſuâ, ſi à Parentibus ſe videt interfectum iri, Lege ullâ conceditur, ut eos interimat. Et Cicero, *pro Roſcio.* Quod ſupplicium, inquit, ſatis acre reperietur in eum, qui mortem obtulerit Parenti; pro quo mori ipſum, ſi res poſtularet, Jura Divina atque humana cogebant. &c.

At verò ſi parens inſidias vitæ liberorum ſtruxerit, vel nullâ prorsùs de cauſa filium fuerit aggreſſus; tum communi Interpretum noſtrorum omninò accederem opinioni, & Filio haut denegarem defenſionem. Si etenim propter cognationẽ, quæ eſt inter homines, naturalem, hominem homini inſidiari nefas reputatur. *hâc l. noſtr.* Tantò magis Ergò impium erit & execrandum, hoc ſi fecerit Pater; quantò inter liberos & parentes arctius eſt vinculum cognationis. Et hoc itaque ligamentum, nefario ſi conatu rumpere nitatur pater: haud ſanè video, cur ipsâ naturâ proditum defenſionis Jus, filio ſit denegandum adverſus eum, qui ipſe ſpernit, ſeq; ſuo dolo indignum reddit Legibus Naturæ. Quem-

admo-

admodum & aliàs dici solet; non esse servandam fidem, qui eandem fregit priùs. *l.54.§.1.ff.locati.* Ea autem quæ in contrarium afferri solent; subaudiri debent de Parentibus, qui retinent στοργὴν procreatorum.

10. Versatur pariter & illud in quæstione; Anné contra Principem vel Magistratum se se defendere fas sit?

Etiam Monachum adversus Abbatem iniquum percussorem, justè se defendere, scribit Zoannet *h.part. 1. num. 12.* & constitutissimum esse inter utriusque classis litteratos, ex Placâ, Clarus, *§.homicidium.num.30.* & Farinacius, *part.5.quæst.125.num.34.* adducunt; licere insultantem cuiuscunque dignitatis interficere, etiã Papam & Imperatorem. *argum.l.29.§.7.ad leg. Aquil.l.32. de injur. add. Val. Vorsterum, tractat.de Iurisdict. fol.m.682.&c.* Hoc autem, ut veritati contonum esse puto, si quæstio sit de Judice seu Magistratu; *vide Mynsing. 5. observ. 18. Voltzium, de sicar. cap. 7. num. 71. Obrecht.tric. num.37.&c.* vel etiam Domino Feudi, *Rosenthal. cap. 10. conclus. 20 num. 23. &c. Rittershus. 2. partit. cap. 5. quæst. 7.* Ita si Princeps, non malesano impetu, subditum suum aggrediatur, lædereque contendat; sed pro Imperio quo fungitur, eum morti addicere velit, tunc magis est ut dicerem, forti animo mortem oppetendam: non Principi ut Principi, à privato resistendum esse. *Paris de Puteo, tractat.de Syndicat.verbo resistentia. §.1.num. 3. & 5.* Est enim apud saniores Politicos conclusio obfirmata; privatum civem, Principem licet impium, & ratione malæ administrationis qui est Tyrannus, interficere nunquàm posse. *Bodin. 2. d. Republ.cap.5.& lib.4.cap. ultim.ad finem. Alberic. Gentil. disputat. regiâ 3.Danæus lib. 5 Polit. Christian. cap.2.fol.332. David Pareus, tractat. de Iure Regum.f. 65. Bechtius, in eleg. suâ disputat. d. securitate. thes. 144. Arnis.de authoritat.Princip.in popul.cap.3.Theodor. Petreius conclus.criminal. thes. 151. Keckermann.Politicor.lib. 1. cap. ultim. fol. 527. &c.* Et Johann. Marianæ Jesuitæ liber, qui contrarium adstruere nitebatur, nunc ubique ferè est damnatus. *v. tr. Gallicum, cui inscriptio Le Contr'assassin.*

Et sic David noluit violare Deo sacrum. *1. Samuel. 24. v. 7.* Ac quamvis Nabucodonosor, sanctam Civitatem expugnârat, Templum incenderat, cætera militibus dederat diripienda, & Populum in miserrimam abduxerat servitutem; sed & statuam ex auro

conflari, eam ab omnibus adorari, & recusantes in ardenti fornace jusserat concremari: sanctissimi nihilominùs vates & prophetæ, litteras dederunt ad captivos, ut pro Regis, Liberorumque ejusdem salute conciperent vota. *Ierem. 29. v. 7.* Et (2) exemplo hâc in parte nobis præiverunt Martyres; tum Ecclesiæ primitivæ, tum reformatæ.

At licetnè Magistratui parere, si nos occumbere velit? vide Keckermannum, *disputat. pract. 23. problem. 30.* à Lipsio, *2. manud. dissert. 23.* dissentientem.

11. Vitæ & corporis tuendi causâ, aliquid mali vel etiam mortem inferre me posse alicui, dubitationem habere videtur nullam. Etenim quod quisque ob tutelam corporis sui fecerit, jure fecisse existimatur: *hâc l. n.* defensorque propriæ salutis, in nullo peccasse censetur. *l. 3. C. ad leg. Corn. de Sicar.* Illud autem in controversiam vocatur; An ob pudicitiæ defensionem, stuprivé amovendi causâ, commissum homicidium, excusationem mereatur omnimodam? Quod affirmant, *per l. 1. §. 4. ff. ad leg. Cornel. de sicar.* Vasquius, *Illustr. 11. num. 7. &c.* Obrecht. *hic, cap. 2. à princip.* Borcholt. *de feudis cap. 7. num. 43.* Arumæus, *disputat. ad leg. præcip. 1. thes.* 4. Ayrer. *part. 1. num. 140.* novissimè: Bachovio, *in not. ad disput. Treutl. 1. fol. 15.* dissentiente.

Pudicitia quidem animi virtus est, quæ violentiam non sentit. Inde licet corpus violenter corrumpatur, Pudicitia tamen haud læsa censetur; castitas si mentis illæsa servetur. *caus. 32. quæst. 5. per tot.* Hincque de Lucretiâ, ita Ovidius canit:

Cùm foderet ferro castum Lucretia pectus,
Sanguinis & torrens egrederetur, ait:
Testatur cunctis me non violâsse pudorem;
Ante virum sanguis, spiritus ante Deum.

Et tamen læditur honos in verecundiâ & existimatione. Ac item eadem hic ratio militat, quæ in corporis defensione. Nam ut vita semel amissa, reparari nequit: sic

—— *Nullâ reparabilis arte*
Læsa Pudicitia est. ——

can. si Paullus. 32. quæst. 5 Et sic respondet Paullus J C. Stupri metum, viris bonis majorem, quàm mortis esse debere. *l. 8. §. 2. ff. quod met. causs.*

cauſ. Hicque maxumè locum habet vulgatum illud: honorem & vitam æquiparari; *l. Iulianus. 26. ff si quis omiſſ. causâ Teſtam.* crudelem eſſe qui negligit famam; *c. non ſunt audiendi. 11. quæſt. 3. c. nolo. 12. quæſt. 1.* & non minori ſtudio ac curâ, honorem atque famæ integritatem, quàm ipſa vita cordi nobis eſſe debere: *l. 5. C. de Inſtit. & ſubſtitut.* nosque non tantùm de crimine, ſed & de criminis ſuſpicione vacuos eſſe decere. *l. 2. C. de furt. & ſerv. fugit.* Quod & Virginius ſuo docuit olim exemplo; qui filiæ honorem, ejuſdem antepoſuit vitæ. *l. 2. §. 24. d. Orig. Iur.*

12. Vulgò vulgata diſceptatio eſt; An conviciatorem, tanquàm ob honoris noſtri defenſionem, liceat afficere morte?

(1) Affirmant communiter DD. *Clarus §. homicid. num. 26. Gail. 2. obſerv. 7. Et alii, quos recenſet Ayrer. part. 1. num. 88.* (2) Differentiam nonnulli, Nobilibus ut credibile eſt blanditi, inter Nobiles & plebejos conſtituunt. *Salomon. hic. n. 4. §. altera dubitatio.* (3) Alii ad Duellum, ex eâdem causâ licitè provocari aſſerunt, ſi Jus & Judex non ſuppetant; eumque defectum tum ritè reſtituat enſis, & propria ultio. *videatur Dn. D. Bocer. d. duello: cap. 8. num. 6. & 16. item Grava. 2. concl. 100. conſiderat. 1.*

Verùm magis eſt, ut nunquàm vel occidendo, vel atrociùs verberando, famam impunè defendi poſſe cenſeamus. Cum Vaſquio, *Illuſtr. cap. 12.* Dn. D. Harppreclito, *ad §. 5. nu. 155. & 166. Inſtitut. de public. Iud.* Freher. *2. de exiſtimat. cap. 10. ad finem.* Obrecht. *hic, cap. 9.* Dn. Adelbert. Burckhard. *ad Voltz. cap. 7. nu. 127.* Ayrer. *part. 1. num. 93.* (quem omninò in hac materià videndum eſſe, dicit Farinac. *d. quæſt. 125. nu. 42.*) Johan. Stuck. *in Iſagog. defenſ. ſub lit. N.* (1) Quia ad redintegrandam famam, haud quicquàm verbera conducunt & qui vulnerat, vel prorsùs jugulat conviciatorem, non ſanè honorem ſuum defendit, ſed vindictam potiùs privatam; omni jure prohibitam, *l. 5. l. 45. §. qui cum aliter. ad l. Aquil. l. 9. ad l. Cornel. de ſicar. l. 1. C. unde vi.* exercet. Alius eſt modus hàc in parte læſo ſatisfaciendi, per Recantationem ſc. jam olim cognita quæ erat Romæ. *Torrentius, ad Sueton. in Cæſ. cap. 73.* (2) Ulpianus, *in l. 25. §. 1. de procurator.* reſpondit: ferendum eſſe qui pudorem ſuum purgat; tamen hoc apud Prætorem fieri oportere. Non enim ad arma rixasque procedere patitur Prætor, quos ſuâ Juriſdictione componere poteſt: *l. 14. §. 3. d. uſufruct.* nec permittit, ut

aliquis sibi Jus dicere præsumat. *l. 1. Cod. ne quis in suâ causâ. &c.* (3) Jureconsultus *in l.14.§.6.de bonis libertor.* ignoscendum, ait, ei, qui voluit se ulcisci provocatus; sed ita, si crimina retorserit. Ergò famam seu civilem vitam defendere licet; sed civili modo, & quæ ad offensionem sit proportionata, defensione.

Non Salomonii, & sequacium sequi possum distinctionem. Quia (1) Jus nostrum atrocitatem contumeliæ, ex personæ quidem dignitate ut æstimetur, præcipit: *§ 9 Institut.de injuriis.* haud verò injuriâ affecto vindictam permittit. (2) Quia in iis, quæ ex jure gentium primævo descendunt, nullam præ aliis Nobilitatas prærogativam habet: utpotè jure demùm positivo fuit inventa. Tertia suprà relata opinio (1) Communi illâ Theoricâ profligatur, quâ dicitur; tum demùm permissum censeri duellum, si ob Publicum bonum, non si solummodò privatæ vin ictæ causâ fiat. *Vasquius Illustr. cap. 49.* (2) Duellum illud, species quædam belli esset, cujus indictione privato est interdictum. (3) Etiam cōtra eum Retorsionis uti possumus remedio, quem judicialiter convenire nequimus. Et proindè probè Gailius censet, cùm scribit: eos qui in hâc quæstione, vel homicidium approbant, vel duellum concedunt, magis Politicè quàm Christianè disputare. *2.observ.100.num.7.* Quamvis autem per hactenus deducta, nunquàm omninò vel apud Deum, vel pium Magistratum innocens sit, qui hoc nostro in casu, alterum vel vulnerat vel occidit: pœna tamen minuenda, nec ordinaria locum habere videtur. *arg. l.38.§.8.d.adulter.Tiraq.d.pœn.causs.1.num.5.&c.*

13. In rerum enodandâ defensione, res haud maximo scrupulo carere videtur; utcunque nonnulli, verbis magè quàm re ipsâ, Dd. nostros inter se pugnare putent.

Res nostras etiam in conscientiæ foro, alterius cum occisione fas esse defendere, communis Julio Claro asserente, opinio est: *§.homicid.num.25.latè Ayrer.part.1.num.156.&c.* à quâ nec Scholastici recedere videntur. *Div.Thomas, Gregor.de Valentiâ, & alii, adducti ab Obrechto.h.cap.8.num.20.* Adeò ut furem, equo proprio vel furto mihi subtracto insidentem, sagittâ aut tormentario globo remorari licere, contendant. Et esse de mente omnium Doctorum, quòd pro defensione rerum suarum, licitum sit invasorem interi-

interimere; etiam quòd Dominus rei, non sit in periculo suæ personæ constitutus, Farinac. asseverat. *quæst. 125. num. 170.*

Ast ab hâc sententiâ, rectè secessionem faciunt, Dn. Valent. Voltz. *7. num 89.* Harpprecht. *d. §. 5. nu. 172.* Bocerus, *de Duello, cap. 9.* Obrecht. *hîc, cap. 8.* Fachin. *1. cap. 31.* & laudati à Petreio alii *consluſ. criminal. 19.* Quomodò enim apud Divinam providentiam, liberi esse possint à peccato, qui pro hisce rebus quas contemnere oportet, humanâ cæde sunt polluti, nescire se scribit D. Augustinus. *1. d. lib. arbitr.* Vita hominis, rebus etiam pretiosissimis est præferenda. *l. 21. in f. C. d. Sacrosanct. Eccles. l. 44. in princ. d. Ædil. Edict.* Vita hominis semel amissa, recuperari nequit: at res ablatæ, variis jure proditis modis, repeti possunt. Illorũ ergò ità explico mentem: Ut liceat quidem defendere res nostras; id est, prohibere ne nobis eripiantur. Si fur ultrà vim inferre pergat, nosque à rerum nostrarum possessione vi repellere conetur; & ità (aliter etenim fieri non potest) simul corpus nostrum oppugnet: tùm, non propter res, sed vitæ nostræ conservandæ caussâ, defensionẽ concessam esse. Sicque rerum defensio, occasio, non simpliciter caussa esse potest homicidii inculpati. Porrò itaque, non hîc eorum approbare censuram possum, qui putant; hâc in quæstione, verbis non re ipsâ, Doctores nostros inter se pugnare. Quippè nam unicum illud, jam modò quod retuli exemplum, de eo qui equum furatus auffugit, & cui ex communi sententiâ, globo vel sagittâ, equi dominus remoram iniicere potest (quod sanè quàm plurimi haut approbabunt) inter utramque quod intersit opinationem, sat est pote demonstrare. Tres ideò notandæ sunt, quæ sequuntur propositiones. (1) Nemo cogitur relinquere rem, possessionemq; suam; sed integrum est cuilibet eam tutari. (2) Res etiam nostræ confestim repeti queunt, ab injusto raptore. (3) Rerum propter defensionem vel recuperationem, nemo est occidendus: nisi sine vitæ periculo servari, vel repeti non possint. (4) Res potius est relinquenda, quàm fur fugiens, nec corpus nostrum offendere cupiens, occidendus. Quæ omnia fundamentum habent, in harmonicâ collatione textuum ex utroque Jure depromptorum. *h. l. nostrâ. ibi: ob tutelam corporis. l. 9. ibi: sine periculo suo. ff. l. 4. ibi: inferendæ cædis voluntate. C. de Sicariis. l. 4. l. 5. in prim ibi: metu mortis. l. 52. §. 1. ibi: si ab eo non prior vapulasset. ff. ad l. Aquil. l. 1.*

C. unde

C. unde vi. l. 54. §. 2. ff. de furt. l. 3. §. 9. ibi: armis repellere. item ibi: eundem deiicere. ff. d. vi & vi armatâ. l. 6. C. d. vi publ. vel privat. l. 5. ibi obiicere manus. C. d. Iure fisci. cap. 2. ibi: si te tuaq; liberando. cap. 3. ibi: non ad offendendum. cap. 10. extr. de homicid. cap. 12 §. ult. d. restit. spoliat. cap. 6. d. excommunicat. in 6.

14. Lege 12. Tabular. furem nocturnum, tanquàm publicum latronem (& qui, ut alicubi ait Seneca Pater, non multùm abestà proditore) omni olim casu occidere licuit. Quem demùm rigorem, interpretamento leniit Jus Civile. *Theod. Marcil. ad L. 12. tabular. cap. 57. Guil Forner. 1. select. cap. 22.*

Nocturni effractores pro homicidis habentur, & tanquàm qui insidiarentur vitæ. Proindè nec Divino jure, reus cædis fuit eorum percussor. *Exod. 22. v. 2. & 3.* Credendum enim est, Dominum rebus suis, citra furis nocturni necem, propter insidiosam ejus violentiam, consulere nequivisse. Attamen si manifestum sit, potuisse parci eidem, tūc is occidi impunè haud potest. *l. 9. ff. de Sicar.* Non tamen cum Cujacio, *14. obs. 15.* (qui ipse sibi contrarius est, *11. observat. 27. & lib. 19. observat. 12.*) dici potest: nihil quicquàm distare furem nocturnum, à diurno. Quamvis enim neuter occidi queat, si parcere iis sine suo periculo potuit dominus: in hoc tamen residet differentia; ut semper in dubio, furi nocturno parci nequivisse intelligatur. Quin & in agro, adhùc jus esse furem occidere nocturnum, ex Harmenopulo, Fornerius adprobat, *supr. laudato loc.* & cum eo Arumæus. *disp. ad ll. præcip. 10. thes. 1.*

15. Necessarios, in quos scilicet præter cæteras personas, officia necessariò conferre debemus; etiam cum cæde injusti aggressoris, defendimus sine culpâ. Contra Vaudum, *2. quæst. 29.* & Obrecht. *hic, cap. 7. num. 9.* Cum communi. *Dn. D. Adelbert. Burckhart. in append. ad Voltzium, num. 23. & c. Ayrer. part. 1. n. 202. Petrejus, conclusion. criminal. 120.*

Sunt (1) in hanc sententiam quæ nos ducant autoritates; cùm sacræ, tùm profanæ. *Genes. 14. vers. 13. Exod. 2. v. 11. & 12. juncto Actor. cap. 7. v. 24. Numer. 35. v. 19. & 21. l. 1. §. 4. de Sicar. l. 1. l. 3. de liberal. caus.* (2) Natura hoc etiam brutis animantibus insevit, ut pro parentibus & liberis depugnent. *Tiraquell. in præfation. ad l. si unquam. C. de revocand. donation.* (3) Etiam qui à nobis dissentiunt, fatentur; con-

junctas

junctas & necessarias personas, defendere fas esse. Ergò concessâ defensione, etiam cædes injusti offensoris permissa videtur: si aliter injuriâ oppressum liberare nequimus. *argumento l. 2. de Iurisdict.* Et absonum est, defensionem concedere, offensionem aggressoris denegare. Quin & cum propriæ quoque vitæ periculo, ad necessariarum personarum justam defensionem, procurrere nos debere: ad idque, saltem de honestate omnes esse obligatos, *ex l. 1. §. 28. & seqq. ff. ad SC. Syllanian. l. 6. §. penult. de re militar.* aliisque rationibus, prudenter disputat Burckhard. *suprà dicto loco. numer. 35. &c.*

Nec ab hâc opinione nos dimovere debet, quòd dissentientes prætendunt. (1) Ubicunque defensio permissa legitur, tantùm de defensione adversus illud periculum agi, quod sibi quisq; intelligit imminere. Hæc namque ratio, defensionem ad proprium cujusque corpus, minimè restringit. Quoties enim in aliquâ Lege vel dispositione, mentio fit de se vel suâ personâ, aut similibus verbis, iis etiam necessarii videntur comprehendi; cùm pari nobiscum censeantur jure: *l. 3. §. 6. de penu leg. l. 2. & seqq. de usu & habitat.* hincque injuria patri illata, etiam filio facta censetur. *l. 1. §. etsi fortè. ff. §. patitur. Instit. de injur.* Et cùm hac sententia nostra, naturali nitatur ratione, non videtur Lege carere. Etenim qui adducit rationem, Legem pro se habere censetur; stultumq; reputatur quærere Legem, si ratio sit in promptu. *Corne. consl. 256. num. 4. Volum. 1. Ias. in l. illam. num. 10. C. de collat.* Quin & pro hâc opinione, verbis disertis concludit Lex 1. *§. pen. ad l. Corn. de Sicar.* Nec illa (quod regerunt dissentientes) de singulari, & contra Juris rationem recepto casu disponit: sed est potiùs regulæ generalis (quòd scilicet se suosque tueri, quis possit) accommodum exemplũ. Nec video quid interpellat, quò minus hanc ipsam Legem, ad casus alios, ubi eadem ratio subest, extendere queamus: *per l. 12. d. lib.* nec item perspicere possum; cur Pater filiæ suę stuprum inferre conantem, occidat impunè: & verò debeat puniri, si interfecerit eidem necem intentantem. (2) Non est verendum, ultioni paternæ januam aperire hanc opinationem, quæ patri propugnationem pro filio concedit: etenim moderata defensio, ultionem excludit. Non homicidia multiplicantur, si defensionem necessariorum nostrorum licitam pronuntiamus:

I sed

ſed ſi eandem denegamus, aggreſſorum temeritatem magè reddimus audacem.

16. Imò, idem de extraneis quoque, nullâ nobis neceſſitudine junctis, an prædicari queat? dignum videtur inſpectione.

Pertinaciſſimè negant hoc, Dn. Obrechtus, *d. cap. 7. num. 26.* & Fridericus Tilemannus, *diſput. ff. penult. theſ. 26.* Variè alii diſtinguunt. *vid. Leopold. Hackelmann. diſp. 1. quaeſt. illuſtr. theſ. 8. lit. a.* Magis communiter non ſolùm hoc adfirmatur; Peinlich Halsgerichts Ordnung. *Art. 150. §. 1.* ſed & pœnâ dignus reputatur, qui auxilium denegat aggreſſo, ſi vitæ abſque diſcrimine hoc fieri queat *Vaſquius Illuſtr. cap. 21. num. 29. Gomeſ. tom. 3. t. d. homicid. num. 21. Latè Farinac. quaeſt. 125. num. 267. & ſeqq. Dn. Harpprecht. §. 5. num. 130. de public. Judic. D.D. Burckhard. in appendic. Voltz. num. 23. Ayrer. part. 1. num. 250. Matthi. Stephan. diſputat. ad Inſtitut. cenſur. 1. theſ. 12. Arumæ. diſput. ad LL. præcip. 1. theſ. 6. Petrejus, concluſ. criminal. theſ. 120. & ſeqq. Andr. Gerhardi, exerc. Juſt. ultim. theſ. 6. Stuck. in Iſagog. defenſ. lit. K.* (1) Si alicui licet amicos & adfines, ad rerum ſuarum convocare recuperationem: *l. 3. §. num igitur. de vi & vi armat. l. 6. C. de vi public.* cur non in periculo vitæ cõſtitutus, idem facere queam? Si hoc: quâ ratione juſtè puniri poteſt, qui auxilium fert aggreſſo? cùm maximè debeamus eruere eos qui ducuntur ad mortẽ. *Proverb. 24. v. 11.* (2) Confert hûc, *l. 50. & l. 109. de Reg. Iur.* ubi dicitur: culpâ carere eum, qui ſcit, vel non prohibet, ſi nequeat prohibere. Ergò, è contrario: qui damnum avertere poteſt, & id negligit, reus eſt culpæ, quod & disertè reſpondetur, *in l. 45. in pr. ad l. Aquil.* Undè & Lactantius, *6. Divin. Inſtit. cap. 11.* qui ſuccurrere, ait, perituro poteſt; ſi non ſuccurrerit, occidit. *conſentit. c. non in inferendâ. & c. ſeq. c. fortitudo. c. ultim. 23. quaeſt. 3. c. 6. d. ſent. excom. in 6.* (3) Licere cuilibet ſuo proximo, vel vicino, pro injuriâ repellendâ auxilium impertiri: adeò ut ſi poteſt, & negligat, injuriantem fovere, ac eſſe particeps illius culpæ videatur; nec ipſe negat Obrechtus, *d. cap. num. 31.* Ergò ſi defenſio proximi eſt conceſſa; id cum effectu erit intelligendũ: ut liceat nempè injuſtè inſultanti, ſi aliter injuriâ aggreſſum periculo eximere nõ poſſim, inferre necẽ. Nec etiam textus, defenſionem permittentes diſtinguunt, ut ſcilicet tantùmodò ſine cæde aggreſſoris, aliũ tueri queamus. (4) Pro nobis pariter facit Moyſis: *Exod. 2. v. 11. & ſeq.* ut & Jonathæ,

1. Sam.

2. *Sam.19.* exemplū. Ea verò facta heroica esse dicit quidē Obrechtus; sed tamen eo haut eripit nobis vim exindè deducti argumenti. Quæ enim pij heroes fecerunt, non Juri Divino contraria sunt, vel injusta: licet quandoq; fidem & vires nostras supergrediantur. Ac item exempla ejusmodi, pro Lege adduci posse, ipse nos docet Salvator noster. *Matth.12.v.3. Marc.2.v.25. Luc.6.v.3.* (5) Naturaliter evenit, ut si quæcunque animantia vim patiantur, reliqua speciei ejusdem præstò adsint, comitantes & auxilium ferentes: etenim, ut est in Italico veriverbio; *Ogni cruda fiera, ama la sua specie.* Ita adhuc magis, cognatio, quæ est inter homines, *h.l.n.* & dilectio quam Christianus Christiano debet, salus item & incolumitas Reipublicæ requirūt; ut quilibet periclitanti succurrat, ab eoque, si potest, injuriā repellat. Quod & Solon olim vidit: beatam dictitans Remp. in quâ quisque alterius injuriam suam existimaret. (6) Parricidio vel crimine Majestatis imminente, quemcunque tanto sceleri resistere debere, *ex l.5.§.id quod.ad l.Iul.Majestat.l.6.in fin.d parricid.* deducit Obrecht. *n.41.* Quæ ergo ratio est, cur, si homicidium dolosum prohibeam, pœnam ex merito incurram? Rectè itaque Ovidius. *13. Metamorphos.*

Et caret auxilio, qui non tulit, atque reliquit,
Sic linquendus erit; legem sibi dixerat ipse.

Sed contra communem hanc opinationem, nonnulli ita argumentantur. Si quis pro eo quod facere tenetur, pecuniam accipit, ut id faciat; turpiter recipit, eamque reddere tenetur. *l. ultim. d. condict. ob turp. causs.* Sed qui alios juvandi gratiâ pecuniam sumit, eam velut pro mercede laboris eximii justè accipit, nec compellitur ad restitutionem. *l. penultim. §. si quis aliquem.de donat. l. 9.§.1.quod met.causs.* Ergò; absq; hoc, alium quis juvare non tenetur. At constat Leges subsumptionem roborantes, de eo loqui facto: ubi quis ad casuum subindè emergentium varietatem, atque difficultatem, alteri suam operam, pactione pro certo pretio interpositâ, ità locavit; ut ei ubivis locorum, omnique tempore, etiam cum discrimine propriæ vitæ, adesse, eumque protegere velit: non cùm casu evenit, ut indigeat proximus auxilio suo.

Quòd verò privatus, si absque vitæ suæ jacturâ, periclitantem tueri non potest, ad opem ei ferendam non teneatur; hoc non ex

I 2 eo deduco,

eo deduco, quòd ajunt: charitatem ordinatam debere incipere à femetipfo. Eft enim impium, Legique & Evangelio contrarium hoc dogma: & ex vulgi fenfu loquitur Baldus, cùm dicit; *conf. 312. col. 1. lib. 4.* plùs fe amat homo in ungue pedis, quàm alterũ in vertice capitis. Proximum quippè diligere debemus, ut nofmetipfos. *Deuter. 6. Matth. 22.* Sed humanæ id condonandum eft fragilitati, quæ plus ferè femper propriam, quàm alienam diligit vitam: hincque dicitur, id tantùm teneri quem alteri præftare, quod fibi non nocet, & alteri prodeft. *l. 2. §. item. d. aquâ, & aquâ pluv. l. 2. in prin. folut. matr.*

17. Hûc ex Politicis transferimus elegantem, & magni momenti quæftionem: An Princeps alterius fubditos, vi & injuriâ oppreffos juvare, ac contra legitimum quidem, fed Tyrannicè Imperantem Principem defendere poffit & debeat? Quod omninò affirmamus: cum Bodino & aliis, quos laudo. *in tract. de Appell. cap. 2. num. 20. adde Perez. in aphorifm. f. 15. nu. 68. & f. 165. num. 97. & feq.*

18. Qui fe adverfùs vim & injuriam defendunt, culpâ omni carere, & animi impetum, ratione atque confilio prohibere debent; ne beluarum magis, quàm hominum more, iræ fervientes, ulcifci fe, non vitam corpusque tueri videantur. *Royz. decifion. Lythuan. 3. nu. 476. &c.* Unde Impp. *in l. 1. C. unde vi.* certum in defenfione requirunt moderamen. Eft enim homicidii crimen, peccare in hominis falute. *Caffiodor. 6. var. 19.*

19. Moderamen verò hoc, ex quibus potiffimùm æftimari debeat, haud inter DD. noftros convenit. Non perperàm dici poffe videtur, rem hanc omnem, à Icto Florentino, *in hâc l. noftrâ,* compendiosè & unico PROPULSANDI verbo, defcribi. *Poft Salomonicum Obrecht. hic, cap. 11. n. 1.* Hoc eft, (quemadmodùm Oldendorpus, *in Enchirid. except. fol. m. 151.* loquitur) ut quòad fieri poteft, adverfario parcatur; utque non nifi neceffaria ad tuitionem defenfio, armorumque expeditio inftituatur. *addatur omn. Lyclama. 7. memb. Ecl. 16.*

Variæ & diverfæ hâc de re Interpretum fententiæ exiftunt; Aliter

Aliter (1) sentit Accurs. *add. l. 1. C. unde vi.* quem sequitur Ayrer. *part. 1. num. 383. 387. & 391.* Longo verò Stylo eundem oppugnat Obrecht. *cap. 10. per tot.* (2) Aliter opinatur Græveus, *conclus. 110. consider. 1. num. 10.* (3) Aliter Dn. D. Bocer. *cap. ultim. de duell. num. 30.* (4) Aliter post Zasium & Menoch. Voltzius, *cap. 7. num. 130.* Eundemque secutus Dn. Harpprechtus, *§. 5. num. 147.* Qui omnes & singuli, si dextrè intelligantur, haud reprobandi videntur.

20. Unicus hic cuneus, quàm multos dissolvere potest nodos. *Joachim. Stephan. 2. d. Jurisdict. cap. 15. num. 20.* Ex eo enim consequitur; haut licere aggresso, ex intervallo occidere insultantem. *l. 3. §. 9. de vi & vi armat. l. 7. § planè. ibi: si cedentem. ad l. Aquil.* Peinlich Halsgerichts Ordnung. *Artic. 142. ibi,* in der Nachfolg. *c. 18. §. final. extr. de homicid. cap. 2. §. si verò Clericus. extr. de sentent. excommun. Voltz. cap. 7. num. 120. Obrecht. cap. 11. num. 25. cap. 14. num. 61. Græve. d. consider. 1. num. 35. Petr. Perenian. 2. animadvers. cap. 18.*

Qui enim non in continenti, seu illicò, in ipsâ concertatione ac congressu aliquem occidit, haut propulsat; sed illatam sibi injuriam potiùs persequitur vindictâ: quæ est à tuendi caussâ sejuncta. *l. 45. §. 4. ad leg. Aquil.* Et tunc Tertulliani illud locum tueri potest: nihil inter provocantem & provocatum interesse, nisi quòd ille prior, hic posterior in maleficio deprehendatur. Est sanè inter propulsionem & offensionem, mutuus respectus atque relatio; ut unâ sublatâ, meritò & altera tollatur. Quæ ratio me movet, ut ultionem quæ fit ex intervallo; non solùm civili, sed & gentium juri primævo contrariam esse putem. *Contra Connan. Donell. & Charondam, cum Ant. Matthæo, disp. ff. 1. thes. 6. & vid. quæ dixi suprà, ad h. l. §. 1. ad finem.* Hincque Doctores nostri tradunt: licet aggressus, jam sit percussus ab insultante; tamen si primò provocatus, desistentem, aut jam vulnere debilitatũ, lædat; tunc id non defendendi, sed vindicandi animo fecisse præsumi. *ex Boer. Græveus, 2. concl. 110. consid. 1. n. 35. adde Lyclamam, 7. memb. Eclog. 16. fol. 206. in fin. & seq.*

Et magis est ut dicamus, quando bona per vim sunt erepta, non permissum esse Jure civili, *l. 3. §. 9. l. 17. de vi armat.* eorum possessionem, nisi confestim vi repetere. Quæ enim ex intervallo vis infertur,

infertur, cogitatè infertur; nec tam ad defensionem, quàm ad ultionem spectat. *Cujac. lib. 5. observat. 18. Obrecht. cap. 10. num. 21.* Ita ut erroneum videatur esse illud commune Dd. dogma, quo dicunt: id, quod de defensione in continenti faciendâ est præscriptum; vim suam perdere in rerum defensione, sicq; possessionem suam recuperare posse spoliatum pro suâ commoditate; etiam post multos dies. *Gail. 1. de pac. public. cap. 16. num. 14. Menoch. recupera. possess. remed 1. num. 384. Voltz. cap. 7. num. 117.* Non obstat (1) Ordinatio Camer. Imper. *part. 1. tit. 9. §.* So jemands. *ad finem. ibi:* zu frischer That / oder wann er seine Helffer haben mag. Non enim hoc de privatis, sed Statibus Imperii exaudiri debet: quibus hanc Belli quandam speciem exercendi, non sine ratione concessum videtur. (2) Nec dici potest civilis possessionis retentæ intuitu, licere quandoque recuperare naturalem. Respondet enim. *l. 14. C. de Iudæis. l. 7. de vi privat. l. 7. C. unde vi.* Et denique huic nostræ sententiæ, Farinac. item accedit. *quæst. 125. num. 211. &c.*

21. Eidem huic nostro fundamento superstruere licet; haut primum ictum expectare teneri aggressum. *fac. l. 3. §. 2. de vi armat.* Peinliche Halsgerichts Ordnung. *Artic. 140. Dn. Harpprecht. §. 5. num. 115. Institut. de public. Judic. laudatus à Farinac. sæpè. d. quæst. 125. num. 74. Ayrer part. 1. nu. 47. & 389. Bronchorst. 2. Miscellan. cap. 51. Matth. Stephan. disputat. ad Institut. centur. 1. thes. 6. Arum. disput. ad ll. pracip. 1. thes. 2. quæst. 3.*

Rectè enim vis & injuriæ propulsionem, permittit *hic* JCtus Florentinus. Quippè fieri posset, ut aggressus primo ictu interimeretur; vel ad defensionem omni jure concessam, minus idoneus redderetur. Ideoque ubi cunctatio est periculosa, prævenire defensioni justæ esse reputatur. Melius namque est occurrere in tempore, quàm post illatum vulnus remedium adhibere: neque remedium dicitur, si reparati non possit. Et hinc Leges nostræ, occidere permittunt, ad se venientem; *l. 3.* qui inferendæ cædis voluntate præcesserit; *l. 4. C. de Sicar.* ferro se petentem; *l. 5. ad l. Aquil.* & sufficere dicunt, aliquem in dubio vitæ discrimine constitutum esse. *l. 2. C. de Sicar.* Ac exindè Dd. nostri communiter dicunt: quòd non prohibitum sit, aggressorem stricto ense venientem, cultro aut quocunque modo alio armatum, licet minimè

petcu-

percutientem, verosimiliter tamen offendendi causâ procedentem, antevertere & occidere. Quin ex sola armorum præparatione, justum incuti metum: & proindè adversus arma ita præparantem, legitimam esse defensionem. *Mascardus. volum. 1. concl. 490. num. 2. & 3. Voltz. cap. 7. num. 118. &c. Obrecht. cap. 11. nu. 12. &c. & cap. 14 num. 57. Grav. d. consider. 1. num. 21.*

Nec ab hâc opinione, dimovere nos Accursius potest: qui auctoritate Legis *52. §. 1. ad l. Aquil. ibi: quoniam prior flagello percussus esset.* demùm post primum ictum, licitè adversarium offendi approbare conatur. Verùm in eâ L. quæstio est de rerũ defensione; & non ibi regulam firmare intẽdit Alfenus JC. sed ex certis sibiq; propositi casus circumstantiis, de defensione ratiocinatur.

Ex hactenus deductis colligimus. (1) Interficere licere vitæ nostræ insidiatorem, hocque nostri tuendi caussâ videri factum: *argum. l. 4. C. de Sicar. & §. 2. Instit. ad leg. Aquil.* cùm nempè plùs ille metuendus sit eo, qui aliquem aggreditur aperto Marte. *Ayrer. hîc, part. 1. num. 43. & 49.* Uti & (2) graves Minæ, ab eo jactatæ, qui easdem solitus est executioni demandare, sufficere putantur, ut ejusmodi comminatorem, quandoque antevertendo occidere queam. Minæ etenim capitales, justum inducunt metum: *l. 7. C. l. 23. §. 2. ff. quod met. causs.* neque vanus existimari debet metus (cujus aliàs nulla excusatio est. *l. vani. de Reg. Iur.*) sed qui in virum quoque constantissimum cadere potest; si homo avidissimus ultionis, manuque promptus, mortem mihi comminetur. Et quamvis Impp. *in l. 9. C. de his quæ vi metusv. causs.* metum non jactationibus vel contestationibus tantùm, sed facti atrocitate probandum esse dicant. Ex eo tamen haut ritè concludi videtur; solas propter minas ejusmodi hominem, si forsan mihi occurrat, antequàm ipso facto me aggrediatur, vitâ privari non posse: sufficit etenim facti atrocitatem adversus alios perpetratam adduci; & argumenta adesse, animi reipsà nocere volentis. Nec est, quod cum quibusdam Doctoribus dicamus; haud periculum imminere, si non in continenti, sed ex intervallo quis timeat se offendi: Judicem igitur accedere debere, & petere cautionem de non offendendo. *Post alios Claud. de Seysell. ad hanc l. nostram. num. 71. & in repetit. num. 122. Vide Vultejum in l. unic. num. 6 C. quand. liceat uni u. q. sin. Iu d. sed vind.* Nemo enim cautionis fragilitati, nolens se committere tenetur. *l. quinta. §. 1. ad Trebellian.*

22 Non

22. Non armorum æqualitatem, ad legitimam defensionem constituendam necessariam esse, ex iisdem rationibus subsumi potest. *Coras. h. n. 7. & 8. Farinac. quæst. 125. num. 359. &c. Obrecht. hic, cap. 10. num. 6. & cap. 11. num. 6. Arumæ. disputat. ad LL. præcipuas, 1. thes. 2. à princip. & quæst. 1. & exerc. ultim. th. 21. Val. Forsterus, d. Jurisdict. fol. m. 654. Guil. Val. Forster. lib. 3. disp. ad Institut. ultim. thes. 21.*

Propulsionem vis & injuriæ, Lex hæc nostra, generaliter concedit; omneque id, quod fit corporis tuendi caussâ, nullam mereri pœnam sancit. Ergò hoc facere licet, utcunque magis commodè quimus. Cumque nullibi Jura nostra distinguant; frivolum est, curiosâ uti velle distinctione: cùm eâ libertas defendendi restringatur. (2) Paria arma in continenti parare nequimus: stultumq; est, cùm ad tuitionem magis idoneis uti possis, abjectis iis, in vitę venire discrimen. (3) Haut percussoris arbitrio permitti debet, quomodò aggressus se debeat tueri: id quod fieret sanè, paritas si armorum necessaria foret; & aggressus etiam pluribus armis instructus, non optionem haberet, quo se tueri velit. Itaq; proportionem hìc attendi Geometricam potiùs, quàm Arithmeticam, nostrates volunt: ut scilicet, si aggressor plus valeat pugnis; aggressus impunè armis sese defendere possit. *Voltz. cap. 7. nu. 112. & 136. Dn. Collega meus Bocerus, d. Duello, cap. 10. num. 55. Graveus, d. consider. 1. num. 11. Ayrer. part. 1. num. 384. Iohan. Stuck. in Isagog. defens. lit. m.* Est etenim innoxius semper, qui damnum dat, si aliter se tueri non potest: *l. scientiam. 45. §. qui cum aliter. 4. ad l. Aquil.* & defensor proprię salutis, in nullo peccâsse videtur. *l. 3. C. de Sicar.* Ubi tamen diligens omnium circumstantiarum pensiculatio, necessaria est; an nempè ad sumendam vindictam, magis quàm ad injuriam propulsandam, quid fuerit factum. *argum. c. significasti. 18. ext. de homicid.*

Nec obstat, quòd aliquoties constitutum reperimus; eum qui cum armis venit, armis repellere licere; *l. 5. C. de jure Fisc. l. 1. §. vim vi. l. 3. §. 9. de vi armat.* seu, ut Ovidius canit, *3. de art. amand.*

Armaq; in armatos sumere, jura sinunt.

Non enim ex contrario est ratiocinandum; si sine armis veniat invasor, etiam absque armis defensionem perficiendam esse. Argumentatio

gumentatio quippè à contrario sensu, haut procedere reputatur, si Leges in contrario casu aliud disponant: at jam modò est edoctum, omne id quod fit corporis nostri tuendi caussâ, nullam mereri pœnam. Ac si quis fortior, me pugno aggrediatur, aut si quis faucium compressione me jugulare, calcibus impetire, lumbosvè mihi elumbes facere conetur; hic jam satis armatus est audaciâ suâ, & corporis animique vigore, ita ut armis me aggredi videatur: & mihi vicissim integra sit quæcunque ratio defensionis.

Cùm verò inter defensionem & offensionem, quandam conveniat existere proportionem: inde erroris convincuntur ii, qui dicunt; impunè interficere licere eum, qui sine armis, elevatâ manu, alapæ tantùm inferendæ gratiâ aliquem aggreditur; vel alapam justam defensionem probare: licereque occidere aggressorem, quandò imminet periculum alicujus injuriæ personalis. *contra Mascardum volum. 1. conclus. 490. num. 7. & Farinaci. quæst. 125. num. 85. &c. Dn Harpprechtus, §. 5. num. 161. &c. Institut. de public. Iud. Obrecht. cap. 13. num. 6. Petrejus conclus. criminal. thes. 118. ad finem.*

23. Num item fugæ necessitas incumbat insultato? ex hactenus deductis nemini obscurum esse potest.

Variæ hâc de quæstione Interpretum sententiæ existunt. Quidam neminem fugere teneri; alii de Jure Canonico quemlibet indifferenter fugam arripere debere; alii Clericos saltem ad illum terminum adstringunt: plerique inter Nobiles & plebejos, hâc in parte differentiam esse dicunt. *Vt videre licet apud Voltz. cap. 7. num. 24. & Dn. Bocer. de duell. cap. 10 num. 46. Dn. Harpprecht. §. 5. num. 120 de publ. Iudic. Obrecht. cap. 10. num. 9. Ayrer. part. 1. num. 18. Farinac. quæst. 125 num. 121. & multis seqq. Grav. sæpe d. consider. 1. nu. 23. Matthi. Stephan. disputat. ad Institut. Centur. 1. thes. 3. Bronchorst. Miscellan. 2. assert. 5. circa finem. Arumæ. disputat. ad LL. præcip. 1. thes. 2. quæst. 2. Hackelman. Illustr. disput. 1. thes. 4. lit. b. Petrejum thes. conclus. crim. thes. 108. Stuck. in Isagog. defension. sub litterâ n. Hænnon. disputat. ad Institut. 1. thes. 13.*

Nos, quascunque rixarum & homicidiorum occasiones evitandas, fugiendas, & quocunque fieri potest modo, quàm studiosissimè esse declinandas; non verò jam aggressum, incertæ & periculosæ fugæ se dare teneri, pronunciamus. *per hanc L. nostr. 3. ibi: propulsemus.* Nec quicquàm impedit §. Injuriâ. *Instit. ad l. Aquil.*

ibi: si aliter periculum effugere non potest. Non etenim effugere periculum, fugam pedibus capessere; sed evitare, & avertere notat. *Tima. Faber. disputat. ad Instit. 26. thes. 8.* Nec omni sine conditione in eorum castra transire possum, qui nunquàm necessariò fugam suscipiendam esse censent. Ajunt (1) fugere ideò neminem teneri, ne famæ periculum incurrat: turpem verò & probrosam esse ingenuo homini fugam. Resp. Militi, qui contra disciplinam militarem, in acie fugam facit; *l. 3. l. 6. §. qui in acie. d. re milit. l. 1. in princ. & l. 2. d. his qui not. infam.* ut & Vasallo ignominiosum esse, si Dominum deserat in prælio periclitantem: *c. un. quib. mod. feud. amitt.* at quòd ille dedecus committat, qui fugâ, non tam propriæ, quàm ipsius adversarii consulit saluti, quique cedere mavult quàm iratum lædere aggressorem; hoc nullus, qui sciverit quid sit Christianismus, puto, dicet. Neque id pro facti quâdam infamiâ reputari potest: cùm eam id tantùm importet, quod existimationem apud bonos viros gravat; non apud homines fide, rationeque carentes. Nec impedit (2) quòd fuga, propter lapsus, & alias caussas, quæ accidere fugienti, & adversario vel animum addere, vel ad offendendum commodiorem viam sternere possunt, admodùm periculosa nec tuta videri queat: exemplo Nisi Vergiliani, *5. Æneid.*

> ———*fessiq; sub ipsum*
> *Finem adventabant, levi cùm sanguine Nisus*
> *Labitur infelix.*————

Nos etenim de eo loquimur casu, quo absque discrimine vitæ sese subducere licet: quod sanè qui omittit, rixarum digladiationumque magis captare occasiones, quàm honori suo consulere videtur. (3) De intellectu Ordinationis Carolinæ, *Artic. 140.* v. Harpprecht. *d. loco, num. 124.* & Bocer. *d. c. 10. num. 52. &c.*

Haud verò distinctionem inter Nobiles & Ignobiles, hâc in parte admittere debemus: cùm ea quæ ex Jure gentium primævo, & charitate descendunt Christianâ, non ex ullâ personarum æstimentur qualitate; *ut jam monu. suprà, §. 12.* Nec enim Jus gentium, ut & charitas Christiana, ullum agnoscit tale personarum discrimen, cùm de Privilegiis quæstio est, quæ ipsa Natura, humano generi largitur. Et notanda hîc sunt verba Molinæi, *in addition. ad Alexand. consil. 118. sub num. 5. volum. 7.* ubi inquit: Contrariam

opinio-

opinionem de Barbaris intelligendam esse, & hominibus mente corruptis, qui affectus seu mores brutorum & ferarum, pro recto rationis judicio, & honestà sanctaque habent lege. Quales multi hodiè sunt (ita loquitur ille) qui Nobilitate se venditant: cùm sint perditissimi, quasi ad facinora tantùm turpia nati, &c.

24. Ex eò itidem, quod dicitur in hâc L. n. inter hominem cognationem quandam instituisse naturam, & ideò hominem homini insidias struere nefas esse; uno quasi ore Interpretes concludunt, semper ordinariâ mortis pœnâ plectendum esse homicidium dolosum. Cui opinioni conformes omninò sunt, textus in Jure Divino: *Genes. 9. v. 6. Apocalyps. 13. v. 6.* Qui sanguinem hominis effundit, sanguis illius per hominem effundetur; quia ad imaginem suam Deus hominem fecit. Homicida quod fecit, nunquàm non exspectet: *l. 3. C. de Episcop. audient.* Lex Cornelia ultore ferro persequitur homicidas. *§. item Lex Cornelia. Instit. d. publ. Judic.* (De variis homicidii apud varias gentes pœnis, videri potest Val. Forsterus, *tract. d. Jurisd. fol m. 645.*)

Idque verum est, cujuscunque ætatis, sexus atque conditionis fuerit interfectus: *l. 1. §. 2. ff. l. pen. C. de Sicar. Dn. Collega Harpprecht. disputat. ad Instit. 29. thes. 1. vol. 2.* Deo etenim, *ut habetur Sapient. 6. vers. 8.* æqualiter de omnibus est cura; quoniam pusillum & magnum ipse facit. Pariter ut conclusio hæc est vera, omnem citra distinctionem, humilioris né, an altioris sit conditionis homicida. *Harpprecht. §. 5. num. 236. &c. de public. Iudic. Grav. suprà d. conclus. 110. num. 5.* contra *Gomes. tom. 3. c. d. homicid. num. 2.* Namque indifferenter hominem homini insidiari, nefas est. *hâc l. nostr. 3.* Et quæ in *l. 3. §. 5. & l. 16. ff. de Sicariis.* referuntur, magis ad historiam; aut ad alia leviora delicta, Lege Corneliâ notata, *l. 1. in princ. §. 1. & 3. de sicar.* pertinere videntur. *argum. l. 38. § 5. d. pœn.* Ut & generis nobilitatem, dignitatemque personæ, ad tollendam, nec etiam ad mitigandam homicidii pœnam aliquid valere, eleganti oration. Kirchner. *in orat. select. 1. & 2.* ac etiam Machiavellus, *1. discurs. 24.* & notabili exemplo ostendit Albertus Stadens *sub Anno 1133. v. quæ dixi disput. polit. 2. thes 22. class. 2.* Adeò displicet Deo Opt. Max. cædes impunita; ut in populo Israël, de homicidio cujus auctor

 incertus,

incertus, Ecclesiam & Remp. purgari oportebat. *Deut. 21.* Et memoriâ etiam dignum videtur, quod refert Plinius, *8. cap. 16.* In Africâ crucifigi Leones homicidas; ut cæteri metu pœnæ similis, absterrerentur eâdem noxâ. Et indè nec statutum, vel consuetudinem, pro homicidio pœnam pecuniariam imponentem, ex communi Dd. sententiâ valere; atque ita in Practicâ servandum esse, dicit Clarus. *§. homicid. nu. 18. Ayrer. part. 2. n. 20. Petrejus, th: 143.* Recteque publicis Regni Comitiis, Poloniæ consuetudo abrogata fuit; quâ ita obtinuit olim, ut Nobilis paucis grossis corpori interfecto impositis, impunis abiret: si videlicet hominem proprium, sive suum sive alterius Nobilis, modò tamen non incolam Civitatis occidisset. *v. tamen Bachovium, ad disputat. Treutl. 1. thes. 9. lit. b. fol. 33.*

Ac quamvis vitæ necisque potestas, jus item noxæ eximendi, criminisque admissi gratiam faciendi, ad Principem spectet: *Bodin. 1. d. Rep. cap. 10. & dixi ego disputat. polit. 3. per discursum, class. 1.* Non tamen, absoluti etiam Principis potestas, eò usque sese extendere videtur; ut pœnam remittere queat, quam mox post diluvium homicidis irrogari præcepit Dominus dominantium Deus: *Obrecht. disput. d. Regalib. thes. 164. &c. Philipp. Hœnnon. disp. polit. 3. thes. 44. fol. 124. & seq. edit. poster. Niellius disputat. Feud. 11. th. 2.* Hincque laudabilis est mos in Ducatu Mediolanensi, ubi pœna homicidis deliberatis, nec à Principe unquàm remitti solet. *Mascard. tract. d. probat. conclus. 98. ad fin.* Nihil enim æquius esse videtur, quàm ut eo modo de criminibus statuat potestas secularis, quo absolutissimâ Divini judicii æquitate constitutum fuit. Criminalem ob Politicas rationes introductam pœnam, condonare licet Magistratui summo; non verò eas quæ à Deo ipso sunt sancitæ: omnis namque imperans minister est, ut vindicet iram Dei, in eum qui malè facit. *Rom. 13. v. 4.* Et proindè non rectè facere Principes videntur, qui sibi vendicant Jus largiendi impunitatem criminum etiam graviorum, ob intercessionem puellæ, malefici matrimonium ambientis; ob pompam nuptialem, vel novi Principis inaugurationem: quasi verò, ob has vel similes caussas, quispiam de alieno benignior esse possit, pœnamque remittere quæ Deo debetur.

25. Hactenus disputata, verum quoque monstrant nobis Asylo-

Asylorum usum: quæ an hodiè adhùc sint constituenda, vel toleranda? variè Politici controvertere solent. *Heigius. quæst. 24. num. 44. & c. part. 2. Gregor. Tholosan. 13. de Repub. cap. 22. & 23. Keckermann. lib. 1. Politic. 15. fol. 295. & disput. pract. 32. probl. 5. Velstenius cent. quæst. polit. dec. 4. thes. 6. Melch. Junius quæst. pol. 65. part. 2. Johan. Gerhardi, Centur. quæst. Politic. decad. 8. thes. 4. Salmuth, ad Panciroll. de reb. deperdit. fol. 220. & c.* Quibus jungi potest, de capsâ D. Romani, Rhothomagensis Antistitis, luculenta ante aliquot annos in Gallis mota controversia: apud Botereum, *lib. 14.* & Mercurium Francicum, *sub Anno* 1607.

In Judaico olim populo, certę refugii civitates ædificatæ fuerunt. *Deuternom. 19. Iosua 20.* Hunc morem imitati postmodùm Ethnici, Deorum suorum Templis arisque, & Cæsarum item statuis hanc attribuerunt immunitatem; ut omnes, quodcunque etiam scelus patrâssent, existerent ibi tuti. *Plutarch. in Theseo. Coras. 5. miscellan. 23.* Et sunt tandem hęc Privilegia ad Templa translata Christianorum. Idque Jus acriter asseruerunt Patres: adeò ut Div. Augustinus, *epist. 187.* Bonifacio Comiti excommunicationis fulmen sit minatus, ob locum Sacrum violatum. Quod & in Jure Pontificio; sequentibus decernitur verbis: Liber homo ad Ecclesiam confugiens, non ab eâ ad mortem, aliamve pœnam corporalem est trahendus; quodcunque patrârit crimen: *cap. inter alia. extr. de immunitat. Ecclesiar.* Fuerunt & Asyla olim aperta, ut Urbes civibus eò magis abundarent. *Calvinus in Lexico, verbo Asylum.* Ita & hodiè Dux Florentinorum, ad Portum Livornensem Urbem condit, ibique tutum refugium præbet, ijs qui patriâ extorres, & propter omnis generis nequitiarum vias, supplicia extrema meruerunt. *Pier. Matthieu. livr. 7. narrat. 1. num. 15.*

Verùm dolosum homicidam, nullo immunitatis gaudere Privilegio, expeditum est. *Exod. 21. vers. 14. 3. Reg. 3. Nov. 17. cap. 7. Coras. 5. miscell. 23. Fachin. 9. cap. 93.* Et porrò haud ampliùs militare videtur ratio, Asyla quæ olim introduxit. In Republicâ quippè Hebraicâ, cognati quos habebat occisus, homicidam ullo sine prævio interficere poterant processu. *Num. 35. Deut. 19.* Quod cùm hodie in usu non sit, restat ut dicamus: (1) Asyla vix alium in Republicâ Christianâ obtinere usum, quàm ut tutum hospitium inno-

centibus, adversus vim potentiorum, aut iram iniqui judicis præbeant. (2) Nec utilem leg. Aquilæ, per asyla impediri actionem; quin ea in loco domicili, contra confugam intentari possit. *argum. l. 6. §. 3. & 4. C. d. his qui ad Eccles. confug. l. 28 §. 7. d pœn.*

26. Excessum gravissimum, in defensione manifesto commissum dolo, ultimo quandoque supplicio puniri posse; haud nobis absonum esse videtur.. Peinlich Halsgerichts Ordnung. *Artic. 142.* §. Ist nämlich hierin zumercken.

De hâc quæstione videndi sunt Voltz. *num. 152. & num. 163. cap. 7. ibique* Burckhard. Dn. D Bocer. *de duello, c. ap. 10. num. 60.* Val. Forster. *de Jurisdict. fol. mihi, 669.* latiss. Farinac. *sæpè d. quæst. 125. nu. 396. & multis seqq. Obrecht. cap. 13. Fachin. 1. cap. 52. Arumæ. disputat. ad LL. præcip. 1. thes. 3. & exercitat. Iustinian. ultim. thes. 12. Ayrer. part. 1. nu. 392. Grave. d. conclus. 110. considerat. 2. Stuck. in Isagog. defensi. lit. p.* Hoc quidem ego facilè concesserim, leviusculâ pœnâ afficiendum esse insultatum, qui terminos moderatæ defensionis aliquantùm neglexit: cùm quippe rixa, instantisque periculi metus, ira, & haud injustus dolor, consilium tollant deliberandi. Licet etenim allegatio iræ, haut excuset dolum, quandò furor & ira, ab actu non licito initium habent: attamen si caussa iræ, quâ quis incitante delinquit, initium habeat à justâ defensione, excessus vel omninò non, vel minimè punitur pro toto; sed saltem pro tanto. Cujus rei verior caussa & origo, ex Philosophorum scriptis est repetenda. Aristoteles enim, *5. Ethic. cap. 8.* multis docet: Qui irâ aut quâ aliâ animi perturbatione delinquunt, facere illos quidē injuriã; sed tamen, non idcircò injustos vel improbos esse habendos. Quâ etiã de causâ, magis est ut putem; à privationis pœnâ immunem esse Vasallum, si contra Feudi Dominũ se defendens, levi vel levissimâ culpâ modum prætergressus esset. *Rosenthal. 10. c. 20. n. 37.* At quòd is, qui nõ culpâ latâ, seu minore dolo; sed dolo lege Corneliâ designato, defensionis excesserit fines, hominemque occiderit; ordinariâ ejus legis pœnâ haud affici debeat, nullam quæ hoc sufficienter astruat, video rationem. Et differunt inter se, animus occidendi dolosus, ac animus præmeditatus occidendi. Hic latronem, ille Homicidam constituit. Nec contranitentium opinionem, aliter quàm de minore saltem dolo, seu latâ culpâ intel-

ligo:

ligo: cùm omnes, quas allegant rationes, in dolore justo fundentur; qui sanè à malâ fraude, quàm longissimè est remotus. Et quod in *l. 7. ff. de sicar.* lata culpa excluditur: eo ipso dolus malus includitur; eumque ad pœnam ordinariam omni casu sufficientem esse, sat proditur apertè.

Neque etiam existimari debet, quamlibet aggressionem satis idoneam atque justam videri caussam, quæ animum aggressi, vel justo terreat metu, & excusabili iracundiæ calore accendat. Sunt namque aggressiones ipsæ, dispariles atque dissimiles multùm. Acsi ipsa aggressio non acris, vehemens, atque atrox, sed remissior paullò, & salutis expediendæ ratio facilior fuerit: tum sanè aggressus, si insultantem, cui omni sine periculo vitæ parcere potuit, studio & datâ operâ occidat; homicidium illud, nec metus, nec iracundiæ aut doloris allegatio elevare, ne dùm planè poterit excusare. Ita si quis gladio leviter cæsus, aggressorem jam fugientem interficiat globo; si quis alapam sibi impingentem pugione occidat: vix capitis effugiet pœnam. Sed hæc omnia, vel ex ipsarum personarum statu atque conditione, ex genere armorum, ex modo & qualitate aggressionis, ex loci, temporis, & id genus circumstantiis aliis, recipiunt variationem: & cùm de eo certa regula dari non possit (cùm quandoque circumstantia levis, rem totam determinare queat; omnes verò circumstantias regulis includere impossibile habeatur) rectè ideò Judicis discretioni relicta censentur.

Lex 4. Tit. 1. Lib. 1. ff.

1. Juris Naturalis, nobiscum quod habent bruta commune, Juris gentium item primævi, seu Juris naturalis humani, adducta hactenus specimina fuerunt; nunc in hâc & sequenti lege, Jus gentium quod nominant secundarium (quod & quandoque naturale vocatur; *VVinckler. d. princip. Jur. 4. cap. 4.* quasi naturæ humanæ ut nunc est, conveniens, *l. 1. ff. locat.*) nonnullis illustratur exemplis: quorum agmen Servitus ducit. *l. 1. d. his qui sui vel alien. Jur.* Hæc autem, à Natura ne descendat, vel ex gentium instituto originem sumat, infinita est disceptatio inter Philo-

Philoſophos & Juriſconſultos. *vid. Bodinum, 1. de Repub. cap. 1. fol. 33. Vacun. à Vac. 1. declarat. 10. Mercer. lib. 1. opin. cap. 9. à princ. Timpler. Oeconom. lib. 1. cap. 4. quæſt. 19. & 21. Jacob. Martin. Colleg. Philoſoph. 2. diſput. 9. theſ. ult. & centur. 7. diſput. ult. theſ. 6. Velſten. in cent. polit. quæſt. decad. 3. theſ. 8. & 9.*

Principi Philoſophorum, *1. polit. 1. & 3.* ipsâ naturâ quidam domini ſunt, ipsâ naturâ ſerviunt alii: cujus rei rationes refert Keckermann. *diſput. pract. 28. problem. 31. & in Log. ſpecial. fol. 799. ut & in ſynopſi Oeconom. cap. 4.* Ipsâ naturâ Dominum vocant, qui intelligentiâ valet providere. Qui autem tantò ſunt inferiores, quantùm diſtat ab animâ corpus, & ab homine belua; naturâ hos ſervos eſſe putant: & iis ut Imperio gubernentur, optimum eſſe dicunt. Equidem ut ſidera aliis alia ſunt illuſtriora, & variæ ſe ſe corporum differentiæ exhibere cernuntur: ita & diſparia ſe mentium diſcrimina proferre cenſent. Quemadmodùm Angelicæ mentes, ordine, dignitate, officiis, miniſteriis, differunt inter ſe; id quod tota cœleſtis exercitus demonſtrat Hierarchia: ſic & in hominum animis, primævam quoque Naturam, differentiam quandam cônſtituiſſe; huncque ad dominandum, illum ad ſerviendum aptum reddidiſſe, probabilis videtur diſputatio nonnullorum. *ut attigi diſput. polit. 10. theſ. 50. claſſ. 1.* Et ut uno verbo omnia dicam: Ipſa oſtendit Natura, res ſtatim atque ſunt ortæ, partim ad imperandum, partim ad parendum natas eſſe. Ipſe homo ex animo & corpore conſtat; quorum alterum dominatur, alterum ſervit. Mens in voluntatem imperium habet, voluntas in appetitum. Mas & fœmina, naturâ ſunt comparati, ut præſtantior imperet, debilior ſubſit. Accedit & alia opinio Stoicorum: qui ſolum Sapientem liberum, cæteros omnes ſervos eſſe decernunt. *Lipſius, 3. manuduct. ad Stoic. Philoſoph. diſſert. 12.* His vera eſt libertas, nulli quæ rei ſervit, nullis caſibus, nulli neceſſitati; Fortunam in æquum deducit. Ad certam firmamque hanc Libertatem, viam nobis commonſtrat Epictetus. *3. diſſertat. cap. 26.* Conſtitui & formavi, ait, voluntatem meam Divinæ. vult me febricitare: & ego volo. vult me aliquid aggredi: volo. vult me potiri: volo. vult me non potiri: & ego volo. vult me mori: volo. Quis jam igitur prohibere me aut cogere, præter voluntatem poteſt?

non

non magis quàm ipsum Deum. Quæ opinio quàm propè ad ea accedit, quæ de Libertate Christianâ passim traduntur in Novo Testamento: cui Libertas nil aliud est, quàm conditio Filiorum Dei; quâ à jugo tenebrarum, quod peccata nobis imposuerunt, liberati, soli Christo vivunt.

His omnibus è diametro adversari videntur Juris nostri conditores; qui servum à naturâ esse, disertè negant: Jure naturali omnes liberos nasci, servitutem à Jure gentium originem sumpsisse; Libertatem Jure naturali contineri, dominationem ex Jure gentium introductam esse scribunt. *h. l nostr. l. 32. ubi Petr. Fab. d. Reg Iur. l. 4. l. 5. ff. d. statu hom. l. 64. d. condict. indeb. l. 2. d. natal. restit. §. 2. Inst. d. Iure person. §. jus autem gentium. d. Iure natur. gent. &c. Novell. 74. cap. 1.* Quod idem, tum & sacri ac profani attestantur auctores alii, adducti à Christoph. Colero, *lib. parerg. cap. 39.* Sic Div. Augustinus, *19. de Civitat. Dei. 15.* Rationalem, ait, factum ad imaginem suam, Deus noluit nisi irrationabilibus dominari: nō hominem homini, sed hominem pecori. Seneca, *22. controv. libr. 4.* Nemo natus liber est, nemo servus: hæc posteà nomina singulis imposuit Fortuna: hoc est, ab initio, uno naturali nomine homines appellabantur. *v. Petr. Fabrum, 2. semestr. 2. f. 29. & seqq.* Hincque liberi, dicuntur Ingenui, quasi naturales: Ingenium quippè veteres dixerunt pro Naturâ. *Ioseph. Scaliger, lection. Ausonianar. lib. 1. cap. 23. Guil. Forner select. 1. cap. 2.*

Sed si rem accuratiùs pensitemus, nulla hîc dissonantia, nulla omninò contrarietas est. *vid. post Covarruv. Dn. Harpprecht. ad §. 1. & 2. num. 14. Inst. de jur. natural.* Naturalis est servitus, quam Plato, *Epst. 8.* moderatam vocat servitutem; & quæ in eo vertitur, ut homines Deo, filii parentibus, cives Reip. & Principibus pareant. *Coras. ad l. 4. in princ. d. stat. homin.* Quam etiam intelligit Cicero, cùm *2. de nat. Deor.* omnem, inquit, Naturam, necesse est, quæ non solitaria sit, neque simplex, sed cum alio conjuncta atque connexa, habere aliquem Principatum in se: Principatum autem id dicit, quod Græci vocant ἡγεμονικὸν; quo nihil in quoquo genere, nec posse, nec debere præstantius esse, docet. Utile sanè, naturâque est inductum, ut in societate humanâ, alii imperent, alii obediant; ut ità certi constituantur gradus, ac eò meliùs hominum conversatio subsistere possit. *vid. quæ dixi disputat. polit. 1. thes. 24.*

& seqq. class. 1. Ab hâc toto genere sejuncta est servitus legalis, seu Juris positivi: quo publico consensu, quæ bello superantur, victorum esse dicuntur: *1 polit. 4.* vel qui ex servis prognati, pro servis habentur. *l. 5. d. statu homin.* Hæc, inquam, Juris gentium secundarii est, & à superiori in eo differt; in quo subditi vel cives, à mancipiis, belloq; captis. Cum utrâque potest concurrere, Stoica illa ingenuitas sublimior; quæ ut & Christiana (seu spiritualis) libertas, cum servitute carnali neutiquàm pugnat. *Ephes. 6. vers. 5. Petr. 2 v. 16. &c.* Quod Anno 1525. Agricolæ haut perpendentes, Servile, seu Rusticanum bellum concitârunt, atque sub prætextu Christianæ libertatis, Imperii jugum detrectaverunt: successu infelici, ut temerario ausu.

2. Legalis, de quâ hîc agimus, servitus, ita justa est; ut Christianis quoq; ejusmodi servos habere liceat contra Bodinum, *1. de Repub. cap. 5.* Donellus, *1. Comment. cap. 12.* ubi Oswald. Hilliger. Bronchorst. *miscell. 1. assert. 4.* Jacob. Martin. *Colleg. Philos. 1. disput. 10 thes. ult.* Velsten. *decad. 3. thes. ult.* Ant. Matthæ. *disput. Instit. 1. thes. 28.*

Utcunque speciosa esse videantur, quæ in contrarium adferri solent: veriorem tamen adhuc ego puto propositam modò opinionem. (1) Servos etenim alere, itemque servum esse, haut prohibet S. S. Scriptura. Sicque *1. Corinth. 7.* servum monet Divus Paulus, ut maneat in suâ conditione: & *in Epist. ad Philemon.* totus est in eo, ut pio Domino, servum reconciliet fugitivum. (2) Confert huc *distinct. 54. per totum*, ubi Servitus illa multis modis adprobatur: Ecclesiæque ministris conceditur habere servos. (3) Servitutes sunt ex vincentium benignitate, qui captivos non occidebant (quamvis & nostro seculo fuerint inventi; qui dubitaverint, num liceat parcere hosti. *Thuan. lib. 56. fol. m. 1125.*) Satius enim est servire quàm necari: durum admissum, ut quod magis durum est, evitetur. Victori quoq; magis prodest servitus, quàm mors hostis; quod Turcæ magno suo experiuntur emolumento.

At ais; sæpissimè injustum esse Bellum. Et qui Bello injusto captivos servare, humanitatis esse putant, consimiliter facere ut latrones ac piratæ; qui jactitant iis se dedisse vitam, quibus non ademerunt. Verùm, quid si concedam, Bellum non legitimè

susceptum

susceptum esse? quod equidem in dubio haut præsumi debet. Attamen non ideò injusta est servitus eorum, qui furori militari, hoc medio erepti servatique fuerunt. (2) Ac licet civilis barbaro, sæpiùs stulto; vir bonus scelerato; eruditus ignaro, qui fortè bello superatur, necesse habeat servire: quod exemplis Forcatulus illustrat, *ad rubr. ff. de servit. num. 2.* Et tamen beneficium Manumissionis, bonos prudentesque servos, haud rarenter eripuit servituti. Et nonnunquàm sapiens servus, singulari beneficio Dei, contingit Domino minùs ingenioso: utrique commodo magno. (3) Fateor Jus naturæ, omnis Juris esse fundamentum; quodque contra illud pugnat, non Jus verum, sed injuriam summam: servitutem autem contrariam Naturæ esse, ex disputatis, *supr. h. l. §. 1.* constat. Sed servitus, verbis quidem est contra Naturam; id est, contra primum nativitatis ortum, statumq. eum, quo primùm homo à Deo conditus fuit. Verùm non dissona est à sententiâ Juris naturalis: cùm namque Jus necis habuerit victor, meritò in eo quem servat, veteris potestatis retinet partem. (4) Iniqua & durissima fuit conditio servorum. Aristoteles, de Legali servo scribit: non inter eum & Dominum amicitiam intercedere posse; eò quòd sit instrumentum animatum: undè neq; κοινωνίᾳ φιλικῇ, sed χειριστικῇ, dignus habebatur. *Ioach. Stephani, demonstr. polit. cap. 9. num. 5.* In jure nostro servi pro nullis habentur: *l. 1. §. 1. undè cognati. l. quod attinet. de Reg. Iur.* hoc est Jus nullum habent, ut loquitur Paulus. *l. 3. §. 1. in fin. de capit. deminut.* Quin & pecudibus, *l. 2. §. 2. ad leg. Aquil.* & mortuis etiam, *l. 59. in fin. d. condit. & demonstr.* æquiparantur. Cognationem nullam habere dicuntur; nec matrem, nec patrem, nec liberos: *l. hos accusare. §. penult. d. accusat.* indeque nec Nùptias contrahunt. *l. 3. C. d incest.* Non sibi quicquàm, sed Dominis omnia acquirunt. *l. 79. d. acquir. hered.* Hinc porrò omnium deterrimum sequebatur: ut cùm Jus nullum haberent, nec injuriâ affici potuère: *§. 3. Inst. d. injur.* quare itidè impunè eos occidere Dominis licebat. Hęc (fortè quis dicat) quomodò non iniqua & impia esse potuerunt inter Christianos? qui unius capitis membra, qui omnes in Christo sunt æquales. Quomodò in foro Poli, hæc approbari queunt? ubi nulla est acceptio personarum: ubi minimè contemnuntur, quos deprimit volubilitas Fortunæ. At pleraq; hæc redolentia Juris vetustissimi

 rigorem,

rigorem, ab Imperatoribus piis, variè mitigata fuêre jam olim. *ut dixi disp. polit. 10. thes. 53. class. 1.* Et eo nomine ipse Justinianus, ubiqȝ se cum gloriâ profitetur servorum patronum. *§. 1. Inst. d. servil. cogn.* Nec tandem Servitus est contra charitatem Christianam; imò potiùs hanc inæqualitatem, quæ mortalium vitam necessariò est consecuta, Divina providentia, in occasionem misericordiæ & humanitatis convertit. Nec ideò impius est, qui servos habet, sed inhumaniter qui eos tractat: & qui humanus est, præstò semper habet subjectum, ubi exerceat officia charitatis; crudelis & fide verâ carens, nunquàm ferè destituitur subjecto, quò minùs proximo obsit, sive ille jam servus fuerit, sive liber.

3. Non solùm in Germania nostrâ, quæ nunquàm habuit verè servos, ut ex Tacito Zasius probat: *1. resp. sing. cap. 3. nu. 36.* sed & in totâ ferè Europâ, post Annum Christi 1250. servi in usu esse desierunt. Adeò, ut à Turcis hodiè capti, illorum servi non efficiantur: & proindè nec Postliminium, nec fictionem L. Corneliæ, in Christianis captivis inducere, necessarium esse reputetur, &c. *Covarruv. c. peccatum §. 11. nu. 6. Vasq. illustr. quæst. cap. 10. num. 13. vid. disp. meam polit. 7. thes. 36. class. 2.*

4. Nunc autem variè disputant Politici; anne expediat Reipublicæ antiquum servitutis jus, ac potestatem herilem revocari? Id quidem negat Bodinus, *lib. 1. de Repub. c. 5.* & Herm. Kirchnerus, *Orat. 4.*

Quid vero ponderis habeant, pro affirmantium sententiâ, quæ mox adducam argumenta, judicio Lectoris relinquere lubet. (1) Servos quamvis non habere dicamur; umbra tamen quædam servitutis, & hodiè reliqua est, in hominibus propriis, & præcipuè iis, qui Dominis suis operas quotidianas præstare coguntur, die zu alltäglichen Diensten gesessen seind. Quorum sanè conditio, multas propter rationes, durior multò videtur, quàm servorum quæ fuit olim: his namque alimenta præbebantur; illi, præ fame quantumvis vix spiritum trahentes, afferta tamen servitia denegare non audent. Hûc pertinet, quod scribit Michalo Lithuanus, *de moribus Tartarorum, &c. cap. 6.* Præstant nobis Tartari, non solùm frugalitate & prudentiâ, verùm etiam dilectione

proximi

proximi: conservant enim societatem inter se, & beneficentiam, servorum quoque justam habent rationem; quos non nisi alienigenas habent, & licet aut bello aut pretio quæsitos, tamen ultra septennium non retinent, jubente id scripturâ. *Exod. 21.* At nos nec bello, nec pretio acquisitos, nec exteros, sed nostræ gentis & Relligionis, orphanos, egenos, &c. tenemus in perpetuâ servitute, abutimurque auctoritate in eos nostrâ, dum eos cruciamus, mutilamus absque judicio justo. &c. (2) Tolerabilius videtur, eos qui vitæ sustentationem non habent servire, & piè educari; quàm stipem passim regiis in viis otiosè emendicare. (3) An non servitus; fustigationi vel furcæ supplicio, magno Reipubl. cum emolumento surrogari posset? *Iohan. Dauth. Iunior. in quæst. miscell. quæst. ult. adde quæ dixi in discurs. d. Ærar. cap. 3. num. 13. & disput. polit. 2. thes. 27. class. 2.*

5. An & quatenus jus naturale mutationi sit obnoxium, tàm Philosophi, quàm JCti multifariàm disceptant. *Keckerman. disp. pract. 23. thes. 14. Christian. Matthias Ditmars. amicus meus, Colleg. Politic. 2. disputat. 4. disquisit. 4. AEgid. Strauch. illustr. quæst. Ethic. cent. 2. decad. 5. thes. 2. Donell. 1. Comment. 12. ubi Hilliger. Vultej. ad §. sed naturalia. Instit. de jure natur. Dn. Collega Harpprecht. ad §. 5. num. 151. &c. Instit. de public. judic. Gothofred. ad l. 5. lit. e. h. t. Pacius antinom. 1. quæst. 2. Bronchorst. 1. ἐναντιοφ. 4. Timæus Faber. disput. ad Instit. 3. thes. 13. Arum. exrc. 1. thes. 22. & 27. Bachovius, ad disp. Treutl. 1. fol. 16. Bened. VVinckler. d. princip. Jur. lib. 3. cap. 9.*

Jus naturale omne (tam sc. id quod cum brutis quodammodò habemus commune, quàm illud, quod Jus gentium primævum vocitamus) haut esse mutabile; in eoque à positivo (hoc est, tam gentium secundario, quàm civili Jure) differre; quòd hoc mutationem quandoque recipit ritè, illud inviolabile debeat esse semper, evincunt textus in Jure nostro multi: *§. penult. Instit. d. Iure natur. §. ultim. Instit. d. legitim. agnator. tutel. l. 8. d. Reg. Iur. l. 9. ibi: peraequè custoditur. hoc tit. nostr. l. 2. d. usufruct. ear. rerum quæ usu consum. VVinckler. d. princip. Iur. lib. 3. cap. 8. & 11.* consentitque Philosophorum opinio communis. *Arist. 5. Eth. cap. 7. & 1. Rhet. ad*

 Theodect.

Theodect. Cicer. 2. d. Invent. Horat. 1. Epist. 10. Seneca, 2. d. irâ, cap. 20. in fin. Nec minùs & ratio urget. Sicut Deus auctor Legis Naturalis non immutatur; ità nec Jus naturæ (quod utpotè ex Justitiæ immutabililis dictamine procedit) alterationi obnoxium dici debet. In Jure positivo, utilitas & ratio civilis; in naturali æquum & bonum spectatur. Utilitas interdum vincitur certiore utilitate, nec ratio civilis, propter rerum humanarum instabilitatem, semper eadem existit: & indè cùm diversi eventus, diversa consilia gignant; *l. 1. in princ. d. ventr. inspic.* non sanè debet hujus positivi Juris immutatio (etiam illius quod Jus gentium secundarium appellamus; secùs ac putavit Bachovius, *ad disp. Treutl. 1. f. 16.* & VVinckler. *4. d. princip. Iur. cap. 13.*) reprehensibilis judicari. maxumè cum & ipse Deus Opt. Max. ex his quæ statuerat in Veteri Testamento, nonnulla mutaverit in novo *c. 8. extr. d. consang. & vid. infrà quæ dicam, ad l. 6. §. 1. h. t. n.* Id verò quod æquum ac bonum habetur, nullo tempore commutatur, nullo in loco variatur: non aliter ac ignis semper & ubique urit, aut terra nunquàm non est gravis. *Boet. 3. d. consol. Phil. prof. 4. & monui suprà, ad l. 1. §. 2 fol. 22.*

Et tamen vicissim innumera in Jure nostro occurrunt, Juris etiam naturalis quæ mutabilitatem arguere videntur. Persuadet (1) hoc nobis, præsens hæc *l. n. cui consentit §. bella. ibi: quæ sunt naturali Iuri contrariæ. Instit. de Iure natur. &c.* (2) Neminem cum alterius jacturâ locupletiorem reddi debere, dictitat Lex naturæ; *l. 14. d. condict. indeb. l. 206. d. Reg. Iur.* & item id quod nostrum est, sine facto nostro, ad alium transferri non posse: *l. 11. d. Reg. Iur.* Attamen Usucapionem, cōtrariā huic æquitatis rationi, adprobamus. Dicunt ergò nonnulli; Jus naturale, funditùs & in totum aboleri non posse; ex justâ tamen caussâ temperari, ac ex parte mutari. Alii ajunt: Principia Juris immutabilia esse; sed conclusiones variatis rebus variari. Alii: effectus quosdam Juris naturalis, nonnunquàm impediri. Alii: Juris naturalis gradum quendam esse superiorem, circa honestorum & turpium discrimē occupatum, & semper immutabilem; alium inferiorem, circa commercia & similia districtum, quem mutabilem esse, non diffitentur. Sed hanc rem ego ità enodo. Jus naturale per se, & existentiæ suæ ratione, immutabile est: in applicatione nihilominùs; cùm nimirùm duæ vel plures, naturalis æquitatis regulæ concurrunt,

certis

certis in casibus temperamentum recipit, restrictionemque admittit. Quâ ratione Jus positivum, non ex simplici ratione proficisci; sed per discursum & ratiocinationem constitui dicitur: *v. Nov. 75. in princ.* dum scil. variæ Juris naturalis regulæ inter se conferuntur, & inde jus aliquod, à simplici ratione aliquo modo diversum extruitur; pariter ut ex variis simplicibus, unum medicamentum, quod huic ægro corpori, vel certo morbi generi magis conveniat, componitur artificiosè. Cujus rei accommodatissimum proponitur exemplum, *in l. 31. §. 1. depositi (& facit pr. Instit. d. exception.)* ubi latro spolia quæ abstulit Cajo, deposuit apud Seium. Quæritur ergò, utrum deponenti latroni, an vero Domino restituere debeat Sejus? Pro latrone militat regula Juris naturalis; quòd rem commissam, recipere debeat is qui dedit. Sed quia hic alia coincidit ratio æquitatis; quòd nimirum nemini suum crimen debeat prodesse: rectissimè proindè Jureconsultus, totius rei æquitatē (quæ ex omnibus circumstantiis adimpletur) perpendit; eamque Justitiam probat, quæ ita tribuit cuique suum, ut non distrahatur ab ullius personæ justiore repetitione: Non aliter Jus Civile; dum aliquid addit vel detrahit Juri communi, à naturalis æquitatis semità haut raro exorbitare videtur, ad eam verò quàm proxumè accedit: non quidem recto gressu, sed propter alias obstantes rationes, per anfractus, & cursu nonnihil inflexo. Hoc modo potest aliquid esse contra Naturam; & tamen ex naturali ratione proficisci. *Anton. Faber; ad l. 4. §. 1. d. statu hom.* Nunquid ideò Justitia varia & mutabilis est? sed tempora quibus præsidet, non pariter eunt: tempora enim sunt. Noscamus Justitiam veram interiorem, non ex consuetudine judicantem; sed ex Lege rectissimâ Dei omnipotentis, quâ formantur mores regionum & dierum, pro regionibus & diebus: cùm ipsa ubique ac semper sit, non alibi alia, nec aliàs aliter. ut loquitur Div. Augustinus *3. Confess. cap. 7. & v. eund. cap. seq. à princ.*

Sicque servitus per se, contra Jus naturale est: sed inspectâ causâ, ob quam ea introducta; secundum quid, cùm rectâ ratione concordat. *eleg. Timæus Faber, disput. Instit. 4. thes. 4. ad fin.* Justum namque est eum occidi, qui nos petiit bello; quia est species defensionis: humanum est potiùs vitam largiri captivo licet in servitutem (ne ampliùs nocere possit) rapiatur. Indeque servitus captivi,

captivi, æquitati & rectæ rationi (omnibus his circumstantiis inspectis) minimè repugnat. Sic pariter, cùm incertitudinem dominiorum, litiumque immortalitatem abhorreat Reipublicæ salus, eadem Usucapionem admittit: *Timæus Faber. disputat. 16. thes. 5. Henric. Gebhard. tract. d. usucapion. fol. 309.* quæ cùm non noceat nisi volenti, supinæque negligentiæ vitio laboranti, haut sanè censeri debet injuriosa. Et ita semper ferè Jus Civile, nihil naturali Juri adimit in rei veritate; sed est tantùm adjunctorum seu circumstantiarum determinatio quædam in eius executione; ex ipsius Naturę principiorum axiomatumque mixturâ in specie determinans, quod Natura non nisi in genere monet.

6. Manumissionem hîc rectè definit JC. Ulpianus; quòd sit de manumissio, id est datio libertatis.

Manus sumitur pro potestate: undè manus Regia, pro Regio imperio, potestateque Regiâ usurpatur. *l. 2. §. 1. de orig. jur. Iustin. lib. 1. hist. ubi Fr. Modius in not.* Ergò qui potestate herili liberatur, isque cui libertas datur, haud perperàm de manu Domini dimitti dicitur. Quod (ut omnia ferè) certis olim solemnitatibus allegoricè quasi adumbrabant Romani. *Festus, in verb. manumitti.* Non vulgatam curamus editionem; ubi legitur, de manu datio. Omnium enim judicio, plenior hìc est scriptio Florentina. *Cujac. & Hotom. in not. Instit. de libertin.* Haud obstat quòd filii etiam, cùm emancipantur, manumitti dicuntur. *§. præterea. Instit. quibus modis jus patr. pot. solv. cum simil. Vult. Inst. de libertin. in princ. num. 2.* Propriè namque alienatio & manumissio, ad servos pertinet: Emancipatio ad solum filium. *l. 1. §. alienatio. quando act. de pecul. annal.* Quia autem olim filius patri tanquàm servus, similesq; proindè erant ritus manumissionis & emancipationis; *Marcil. ad L. XII. Tab. §. 25. fol. 117.* ac in imaginariam servilem causam, liberi in emancipationis sollemnitate peragendâ deducebantur, nec aliter quàm servi distrahebantur: ideò pariter non impropriè liberi manumitti dicuntur. Quod tamen manumissionis servilis descriptioni; utpote cùm in definitionibus verba in propriissimo significatu sint accipienda, nihil decerpit.

7. Tria hominum genera sunt; liberi, servi & liberti. *Vult. in princ. Inst. de libertin. Conrad. Oeleman. antinom. jur. civil. in proœm. them. 18. & 20. item disp. 2. thes. 7. & 9.* Liberos

Liberos sejungimus à manumissis; erant enim ingenui aliquantùm liberiores quàm liberti: undè in Jure nostro, liberum haut rarò, κατ' ἐξοχὴν ingenuum interpretamur. § *sed postquàm. Inst. d. Libertin. l. 40. ff. d. liberal. causs.* Et hinc processit Jus aureorum annulorum, quod libertis tribuebat Jura ingenuitatis. Sic & Natalibus liberti restituebantur, eoque ipsam ingenuitatem consequebantur. *tot. tit. C. & ff. d. Iur. aureor. annulor. & tot. tit. C. & ff. d. natalib. restituend.*

Verùm quartum aliquod genus hic superaddendum, sc. Libertinorum; non solus Valla observavit (qui *4. elegant. cap.* . notat; Libertinū relativum esse ingenui, sicut libertus patroni: nec enim dici, cujus est Libertinus, sed cujus est Libertus; haut rectè dici, servus ne est an libertus, verùm, servus an Libertinus) sed & ex Javoleni responso, *in l. ult. ff. d. Iure deliber.* Cujacius, *3. observ. cap. 17.* docet; quòd alia adhûc sit differentia, inter Libertum & Libertinum: ut nempè Libertini appellentur ingenui, ex libertis procreati. *addatur etiam l. 1. §. 4. d. excusat. tutor.* At verò Vallæ observatio, Grammatica tantum est; nec Juris aliquam diversitatem, vel quartam hominum speciem inducit. Et Jure nostro, libertorum filii, verè ingenui habentur; *tot. tit. C. d. libert. & eor. liber.* quamvis etiam hâc in parte, Ius non semper fuerit uniforme. *Sueton. Claud. cap 24. Neron. cap. 15. & utrobique commentatores.* (2) Rursùm duas tantùm species hominum esse, ex eo probari posse videtur; quòd Libertinorum hodiè sublatus sit status. Etenim quemadmodùm Antoninus Bassianus Imp. omnibus ingenuis in toto orbe Romano, Jus tribuit Civitatis Romanæ: *l. 17. d statu hom.* ita Iustinianus illud etiam porrexit ad libertinos: *§. ult. Instit. d. libertin. l. un. C. d. Lat. libert. toll.* ita ut hodiè ipsâ manumissione liberti ingenui fiant, nec ad id ampliùs opus sit aureorum Annulorum impetratione, vel natalium restitutione. *Novell. 78.* At hoc nihilominùs haut in totum tollit statum Libertinorum: salvum namque manet Ius Patronatus; *d. Nov. cap. 2 Marcil. ad tit. Instit. de Libertin.* quod efficit, ne liberti omni ex parte pro ingenuis haberi queant.

Lex 5. Tit. 1. Lib. 1. ff.

1. **Bella juris gentium positivi, non primævi sunt.** *h. l. n. &*

§. sed jus quidem. Inst. de jur. nat. Dissent. *Hotoman. ad d. §. sed jus, & Anton. Matthæ. disp. 1. thes. 9.*

Etenim cùm Bellum, usu demum exigente, & ad obviandum malitiæ hominum sit inventum: Ovid. *1. Metam.*

Iamq́; nocens ferrum ferroq́; nocentius aurum
Prodierat: prodiit bellum quod pugnat utroque.

Nec simplex defensio, sed limitata & circumscripta existat; indè jurigentium meritissimè fertur acceptum. *vid. Hilligerum ad Donell. 1. cap. 7. lit. q.* Ius equidem positivum, ex ratione æquitateque naturali licet deducatur, neque ab eâ recedat in totum: magis tamen est speciale, Iurisque primævi notiones, ex simplici ratione profluentes, explicat atque determinat ratiocinando. *argum. l. 6. h. t. n. & jam monui suprà, ad l. 1. sub §. 25.*

2. Huicné eidem juri, an debeat adscribi, quòd gentes discretæ, & Regna condita? dubitationem habet multò majorem.

Imperiorum & Rerumpublicarum constitutionem, ad Ius gentium primævum, ipsamque Naturam esse referendam; regere & subiici, regi & gubernare, consentanea esse Naturæ, Divinoque Iuri, concors opinio est omnium ferè Politicorum. *ut dixi disput. polit. 1. thes. 24. &c. class. 1.* Etenim si finis civitatis (salus nimirùm publica, & justitia) naturæ, rectæque rationi consentaneus est; si hominum consociatio à naturâ descendit: sanè & in naturâ ipsâ media quoque erunt, ad eum finem quibus perveniamus. Nulla autem alia monstrari queunt, nisi quę πολιτεία seu Respublica, rectaque suggerit ordinatio Civitatis; & quæ in imperando atque parendo consistunt. Hincq; *Arist. 1. polit. 5.* Imperare ac parere, necessaria ac utilia, Naturæ ac rerum naturalium munia esse ait. Cui quoque Cicero consentit; sine Imperio, inquiens, *3. d. Legib.* nec domus ulla, nec Civitas, nec gens, nec hominum universum genus stare, nec rerũ Natura omnis, nec Mundus ipse potest. Nunquàm fuit tempus, in quo non fuerit societas, & communitas aliqua vitæ inter homines, & indè etiam imperii quędam forma; nisi vi aliquâ superiore, coacti fuerint ab illâ in solitudines abire; ut ità ridiculi haut immeritò videantur, qui audacter adfirmant; homines primùm more ferarum, in sylvis & montibus se-

bus solitariam degisse vitam; donec à quibusdam in coetum fuerint inducti. *Petrus Gregor. Tholos. 1. d. R. 2. numer. 6.* (2) Facit *l. 2. hoc tit.* ubi ut Patriæ pareamus, Religioni erga Deum, Parentumque venerationi Pomponius conjungit: & eo innuit, tria hæcce præcepta pari fere passu ambulare, ex eodemque profluere fonte; primævæ scil. Naturæ, rectæque rationis

Verùm hæc omnia, sana si interpretatio accedat, nostrâ cum lege, ubi Bellorum Regnorumque origo, ex unâ scaturigine derivatur, nullo modo pugnant. Sanè immediatè à naturâ procedit, ut civiles sint hominum consociationes, & indè imperia. hoc est, certi ordines in jubendo & parendo. *Keckerman. in præcogn. polit.* Quam naturalem imperandi rationem, & Iustinus, *in princ. lib. 1. histor.* depingit, cùm ait: Fuisse aliquandò tempus, quo exigua erant regna; unoquoque Rectore suis contento, diligenter sibi commissos paucos curante: semotâ ambitione latiùs regnandi, aut sibi alienigenas subiiciendi. Hincque antiquitùs plures Reguli memorantur, qui singuli singulis Urbibus imperitârunt. *Genes. 17. Keckerman. dicto loc. fol. 21.* At ubi posteà dominandi lubido incessit, ad prædas & bella conversi sunt homines: indè necessitas defendendi imposita, nationes nationibus diversis junctæ, mixtæ, corruptæ fuerunt. Cui confusioni, primus fuit qui dederit occasionem Nimrodus. *Genes. 10. & dixi disp. polit. 1. thes. 3.* Ex eo porrò, subsecutæ sunt necessariò, Rerumpub. administrationes diversæ, Populorum & Regnorum aliæ consociationes: hocque respectu, Iure gentium, non naturali primævo, nationes discretas, & Regna esse instituta, cum Hermogeniano ICto *in hâc leg. nostr.* censemus. Aurea ergò ætas, apud Ovidium, *1. Metamorph.* aliosque, mihi est Innocentiæ status: ad Argenteum seculum refero Regna, quatenùs sunt Iuris gentium primævi. Æneum peperit Bella, & dominationes: quæ demùm omnia confudit ætas, de duro quæ est ultima ferro. Ita ut Bella hodiè non sint Bella, sed tumultus; *Richter. axiom. histor. 46.* Respublicæ & Principatus, non Imperia: sed (haut rarò) divitum adversus pauperes conjurationes; ut alicubi conqueritur, *in Vtop.* Morus.

3. Dominiorum etiam distinctio, naturaline, an positivo gentium juri, debeat adscribi? quæstionis aliquid habere videtur.

Iuri eam primævo adjungunt Iohan. Forsterus, *disp. ad Decal. decad. 3. thes. 1.* Vacon. à Vacun. *1. declar. 11.* Dn. D. Harpprechtus *Instit. de rerum divis. in princip. num. 54. & c.* Gœddæus, *ad l. 42. num. 7. de verbor. signif.* Ægid. Strauch. *quæstion. Ethic. cent. 2. dec. 3. thes. 10.* Econtrà, bonorum proprietatem, tanquàm per peccatum & lapsum protoplastorum procuratam; ad Ius secundarium, quo bella, servitutes, & similia negotia introducta sunt, pertinere: & ita naturæ Jure, ut omnes liberi, sic omnia etiam communia existere; Hermogenianus, *in h. l. n.* assertat; ubi dominiorum distinctionem; & quòd agris termini positi, Iurigentium assign[illegible] pariter ut Div. Augustinus, *in can. quo Iure. distinct. 8.* Iure humano dici, ait; hæc villa est mea, hic servus est meus, hæc mea est domus. Ovidius item, *1. metamorph. fab. 5.* de ferreâ ætate scribit:

Communemq; priùs, ceù lumina Solis & auræ;
Cautus humum longo signavit limite mensor.

Quod & adprobant Donellus, *1. Com. 7.* Alb. Bolognet. *tract. d. lege, jure & æquitat. cap. 10. 11. 12. & 22.* Gilken. *ad §. singulorum. de rerum divis. adde Cicer. 1. offic. à princip. fol. mihi. 466.*

Sanè ex privilegio primævæ naturæ, omnia homini sunt subjecta: *Psal. 8. v. 7. & Ovid. 1. metamorph. fab. 2.* & eo ideò jure, omnia communia fuissent. Naturalis verò & primæva illa bonorum cummunitas, jure positivo restricta necessariò fuit: quia nempè malitia humana, per peccatum inducta, haud Innocentiæ illo privilegio digna videtur; nec aliud nisi turbas & omnium rerum plerunque parit perturbationem. *l. 77. §. 20. in fin. de legat. 2.* cùm malus & cupidus, plùs quàm sibi necessaria occuparet, & semper alieno labore partis cuperet uti. Dominia idcircò fuerunt distincta, certæq; latæ leges, quibus ea transferantur, & hæc distinctio translatioque conservetur: quia secundum rectam rationem, usus omnium rerum hominibus competere debet; sicut congruit pacificæ conversationi, necessariæque sustentationi. Ex quibus facilè apparet, Dominiorum distinctionem, non equidem conquiescere in purâ ratione naturali, ut ea quæ sunt Iuris primævi; sed tamen discursui rectæ rationis, suppositâ scil. malitiâ humanâ, conformem esse. *Atque ita intelligenda est hac Lex nostra, & d. can. quo Iure.*

Nunc si quis quærat: An Christiano homini, legali illâ dominiorum

niorum distinctione uti, frui, liceat; an verò potius Anabaptisticę cõmunioni ex necessitate debeamus adhęrere? hunc ei scrupulum, vel unicum illud axioma evellere potest; quòd Christus non veni ut aboleat politias, sed ut id, quod in illis ex malo est, alio medio, quàm publicæ tranquillitatis turbatione corrigere nos doceat. Quòd hoc in casu fit; si nostrâ liberalitate & beneficentiâ erga egenum proximum, indirectè primęvam communionem introduxerimus: & dum divitiis secularibus abundamus, pauperes spiritu, & ementes tanquàm non obtinentes fuerimus; utentes hoc mundo, tanquàm non abutentes. *1.Cor.7. v.30. & seq.*

Quibus non refragatur, quòd furtum contra Jus naturale esse, *in §.1.Instit.de oblig. quæ ex delict.* scriptum invenimus. Nam & primæva illa bonorum communio, haud confusio aliqua; sed potiùs harmonica quædam, & temperata rerum participatio extitisset: qualis est inter socios, aut multos liberos, sub unius patris potestate ac familiâ existentes; quam certè vel maxumè destruerent furta. Quin & furtum, vel hâc ratione fuisset contra Naturam, naturalemque communionem; quia fur sibi arrogat, propriamque reddere nititur rem talem, quæ debebat manere communis: nam & socius in re communi furtum committit. *l. 45. ff. furt.* (2) Ad *§. 11. & 37. de rerum divis.* (ubi dicitur; quarundam rerum dominium, nancisci nos Jure naturali) respondeo: Etiam in primitivâ illâ rerum communitate, futuram fuisse occupationem; rerum præsertim mobilium, ad victum quotidianum necessariarum.

4. Vulgatam magis hîc probamus editionem, quæ ædificia collata; non collocata (ut Florentina) legit. *v.Donell.1.Com.7.*

Conferre ædificia, est urbes, vicos, oppida constituere; collocare ędificia, est extruere habitacula, domos, &c. Pandectarum ergò Florentinarum lectio si recipiatur, sensus est; ipsam ædificiorum constructionem, ad Jus pertinere positivum. Ædificia verò collocare, naturâ videtur introductum; sive illa jam antra sint, sive (*Ovid.1. metam.fab.4.*)

—— densi frutices, & junctæ cortice virgæ.

Urbes autem, & oppida munire, ex positivo jure descendit: namque de ætate Aureâ, Ovidius canit: *1.metam.fab.3.*

Nondùm præcipites cingebant oppida fossæ.

Adde Lactant. 6. cap. 10. Et Cain ob metum, trepidationemque immanem, cùm ille Divini judicii signa circumferret, & sibi à quovis metueret, oppidum primum condidit, & Henochiam appellavit (cujus primæ Civitatis antiquissima vestigia videntur, Henochia regio, & Henochii Populi ad Caucasum siti) *Genes. 4. v. 17. Danæ. 1. polit. 3. fol. 29. & in tract. de primis mundi antiquit. fol. 144. &c.* Diu quoque oppidis & ædificiorum collatione, caruit Germania nostra. *Tacit. d. Germ. & vid. Cluverium, in admirando illo suo opere, Germaniæ antiquitatum, lib. 1. cap. 13.*

5. Quia verò Dominia (ut hactenus est evictum) ex Jure positivo, non naturali procedunt: ideò & commercia huic eidem Juri haut perperam aggregantur. Quandoquidem necessitas & illa induxit. *l. 1. d. contrah. empt.*

—— Omnia non fert omnia tellus:
India mittit ebur, molles sua thura Sabæi.

Sicque etiam ex Jure gentium positivo, institutæ sunt pleræque obligationes (quo verbo contractus intelligit Hermogenianus. *Gedda. tract. d. contrah. stipul. cap. 2. concl. 1. num. 24. ad fin.*) Exceptis quibusdam, quæ proveniunt à Jure Civili. *h. l. nostr. vers. fin.* Cujus rei indagatio, non, ut quidem putant, inutilis videri debet. *Niellius, disput. Feud. 4. coroll. 1.*

Emptionem venditionem ex Jure gentium descendere, dubitationem habere potest nullam; *l. 1. §. 2. de contrahend. empt.* quod idem de Locatione respōdet Paulus: *in l. 1. ff. locat.* & iis Imp. *in §. 2. Inst. de Iur. nat.* societatem, depositum, & mutuū aggregat, aliosq; innumerabiles hûc referri debere attestatur. *adde l. 5. 6. & 7. in pr. d. pact.* Illud hic extra ordinem addimus; benè ex Josepho refutare Polydorū Vergil. *3. de invent. cap. 16. & 2. cap. 20.* quod post Plinium Connanus, *1. Com. 5. num. 8. &c.* refert; vendendiemendique usum, Liberum patrem, seu Bacchum instituisse. Nam certè Numi commoditatem, multò antiquiorē esse, Sacro Sanctæ litteræ probāt. Vix ergò defendi potest, quod in lege *1. de contrah. empt.* dicitur: Trojanis temporibus, incognitam fuisse emptionem.

Sed porrò, quæ nam obligationes à Jure civili sint introductæ, controversiā haud caret. Sciendum autem, illa Juris esse civilis, quæ à Jure civili, primò introducta; *h. l. n. in fin.* & propria sunt ci-

sunt civium Romanorum. *§. 1. Instit. de Iur. nat. §. 1. de patr. potestat.* Nec obstat, quod *in l. 6. hoc tit.* dicitur, Jus constitui civile, cùm aliquid additur vel detrahitur juri communi: non enim proindè ipse contractus, cui aliquid additur; sed id saltem quod additum est, ad Jus civile pertinere censemus. Et aliud etiam est, si Juri gentium aliquid in formâ, aliud si in materiâ addatur: *v. Arumæ. exerc. 14. quæst. 12.* manent enim contractus Juris gentiū, qui ab eo originem, nomen, & formam habent; licet à Jure Civili approbentur, vel iis aliquid addatur. *VVesembec. in parat. d. pact. sub nu. 9.* Ex quibus facilè apparet; STIPVLATIONEM, Iuri civili acceptum ferendam esse. *§. 9. de action. vid. Ravard. 4. var. cap. 1. Vacun. à Vacunâ, declar. 68. Gœdd. 2. de contrah. stipulat. cap. 2. Setserum de jurament. 3. cap. 2. num. 2. & seq Arumæ. exerc. 13. thes. 1. Treutl. volum. 2. disp. 27. thes. 1. c. Hackelman. disput. quæst. illust. 1. thes. 5. d. Hedeman. disputat. Pand. 1. thes. 17. lit. c. Forster lib. 3. disput. 17. thes. 4.* Ea etenim (1) ipso jure, ex merâ interrogatione & responsione subsistere dicitur; & potiùs à verbis, quàm à consensu denominatur: *l. 1. §. 7. de O. & A. in pr. Inst. de verb. obl.* adeò ut & ad obligationem, etiamsi jocandi causâ esset interposita, ipso jure olim prodesset. Plaut. *in Pseudol.*

Auferetur id præmium à me, quod promisi per jocum.

Licet hodiè non satis valida ad agendum, ejusmodi obligatio censeatur. *l. 3. ad fin. de O. & A. vid. Ravard. 2. variar. 5.* (2) Textus est pro hâc nostrâ opinione, expressus: *in l. 53. d. acquir. rer. domin.* ubi quod acquirimus per stipulationem, sejungitur ab eo, quod nobis obvenit titulo Iuris naturalis. Et (3) *in l. 1. §. 2. d. contrah. empt.* respondetur; Emptionem Iuris gentium esse, cùm consensu peragatur, & inter absentes, ac quoque per litteras contrahi possit. Stipulatio verò quia talis est contractus, cujus essentia (ut jam dixi) non in consensu, sed purè subsistit in verbis; ita ut nec inter absentes, nec per epistolam, vel inter non loquentes iniri queat; *l. 1. in princ. d. verb. oblig.* omninò ideoque Iuris civilis erit. (4) Stipulatio item, aliud quid est à Iuris gentium conventione: undè cautio indigitatur; quòd per eam id agatur, ut securior quis & cautior esset. *l. 1. d. prætor. stipulat.* Nec est tandem Conventio tale genus, quod æqualiter de omnibus contractibus prædicetur: aliàs namque nulli Iuris civilis essent. *contra hanc l. n. in fin. ibi: exceptis quibusdam.*

Stipulationi

Stipulationi quòad originem, obligatio Nominum (quæ nimirùm per scripturam, ad Argentariam fiebat mensam. *vid. Cujac. 22. observ. cap. 4. Revard. 3. variar. c. 1.*) similis videtur; quamvis id neget Iacob. Cramerus, *disput. Inst. 1. thes. 14.* Ait quidem ille; nullam hodiè esse gentem, quæ non mercatorum, rationumque tabulis, attribuat fidem. Sed aliud est, præ aliis scripturis privatis haud levem in probādo fidem habere libris mercatorū; *Mascard. conclus. 254.* aliud est dicere, per illos libros, obligationem induci, & etiam sine numeratione, post biennium nasci obligationem: *tot. tit. Instit. de liter. oblig.* quod sanè ex mero Iure civili descendere videtur.

6. Magis est, ut Emphyteusin, in classem contractuum juris gentium reponamus. *vid. Borcholt. 3. de feud. num. 3. Coras. 1. miscell. 21. & ad rubric. C. de jur. emph. Connan. 7. Com. 12. Dn. D. Harpprecht § 3. num. 14. Instit. de locat. & Disput. ad Instit. 11. th. 1. volum. 2. Dn. D. Bocer. tract. de qual. & diff. feud. cap. 1. num. 26. & in disputat. tractatui de Monetis subjunctâ, thes. 46. Treutler. volum. 1. disput. 29. thes. 9. b. Setser. de juram. 3. cap. 2. num. 4. & c. Bronch. 1. enantioph. 79. Arumæ. exerc. 14. quæst. 12. Forster. lib. 3. disput. 18. thes. 9. Hackelman. disput. quæst. ill. 1. thes. 5. g. Hænnon. disput. Instit. 1. thes. 14. Bachovium, miscell. cap. 6.*

Dissentientes quidem prætendunt, contractum hunc, non amplius Iuris gentium (ut ante Zenonianam constitutionem) sed Iuris civilis esse: cùm ejus species, & forma essentialis. in scripturâ hodie consistat. *l. 1. C. de jur. emph.* Sed ad hoc multipliciter poteit responderi. (1) Haud est expeditum, quò l de substantiâ emphyteuseos sit scriptura. Sanè à negligentiæ supinæ, & oscitantiæ crimine, liberari non potuisset Iustinianus, si quæ ad substantiam, formamque hujus contractus pertinent omisisset; cùm ex professo de Emphyteusi agat, *in § 3. Instit. de locat.* Quinimò Imp. noster, quid huic contractui præstiterit Zeno, disertis edocet verbis; nimiùm suis ut pactionibus fulciatur, ac si nihil de periculo rei fuerit pactum, quid tunc conveniat observari. Hocque vel unica, *ind §. 3.* posita, satis arguit adversativa particula SED: cujus natura est, diversam vel adversam sententiā, adiicere superiori. Dicit quippè Iustinianus, Legem Zenonianam Emphyteuseos

teuseos contractui propriam statuisse naturam, neque ad locationem, neque ad venditionem inclinantem: quæ verò illa fiet; mox id indicat, cùm subjungit; sed suis pactionibus fulciendam, &c. Ac si sæpè dictum §.3. (maxumè ingenuum interpretem Constitutionis Zenonianæ) penitiùs nec limis, novitatisque studio nimis superciliosis oculis introspiciamus, liquidò apparebit: Zenonem haut de novo propriam substantiam dedisse emphyteusi; sed ejus naturam, ac quomodo à venditione locationeque sit sejuncta, explicavisse magis quàm commutâsse, insimulq; Jure Romanæ Civitatis illâ donâsse. Nec scrupulum mihi movent verba legis *1. C. de jur. emphyt. ibi: pactionib. scripturâ interveniente habitis*: hic enim de pactionibus in scripturam redigendis, nihil de ipso contractu scribendo dicitur, & potest sine pactionibus subsistere emphyteusis. Ac porrò, si in eo solùm à locatione emphyteutica sejuncta esset conventio, quòd hæc scripturam de necessitate requireret; illa nudo consensu contenta esset: exindè sequeretur, quòd illa locatio, quæ ex pactionis necessitudine, in scripturam redigi debet (quod sanè fieri potest, & assolet haud infrequenter; *l. 17. C. de fide instr.*). in emphyteusin degeneraret. (2) Licet ex lege Zenonianâ, emphyteutici contractus necessaria existeret solemnitas scriptura; attamen non ex eo ritè concluderetur, eundem contractum à Jure civili introductum esse: aliud enim est, si Jus civile formam det, ratione certæ alicujus sollemnitatis; aliud est Jure civili obligationem aliquam esse institutam, quod solùm nos hic indagamus. *hâc l. nostr. in fin.* Nec iis in locis, ubi emptio sine judiciali insinuatione, valida non est; propterea Juri civili adscribendus videtur, notissimus ille Juris gentium contractus.

7. Quo Jure contractus & obligationes sint introductæ, hactenùs est indagatum: nunc de Actionibus quæ exindè suboriuntur, aliquid etiam ut addatur, ordinis ratio expostulare videtur. Et hæ quidem, respectu scil. materiæ, & quatenùs sunt correlativæ obligationum quæ ex Jure gentium descendunt, Civili Juri attribui nullo modo possunt. *Corasius, ad §. 6. d. Orig. Jur. VVesenbec. in parat. ff. d. pactis. sub num. 9. Vacontus, declarat. 21. & 25. Treutl. disputat. ff. 1 thes. 4 & ibi Bachovius, fol. 17. Dn. D. Harpprecht. ad tit. Instit. d. Action. in princip. Anton. Mat-*

thæus, disput. ff. 1. thes. 22. Anton. Gothofred. in disput. sive tract. de actionibus, thes. 1. Dissent. *Bronchorst. 2. miscellan. 55. Guil. Val. Forster. exercit. Justin. 1, thes. 2. lib. 4.*

Frustraneæ namque & inanes fuissent obligationes, Jure gentium diù ante Romam conditam usitatæ; si ex arbitratu debitorum solutio dependisset: vel pro libero creditorum arbitratu, debita exigi potuissent; neque aliquid actionibus ἀνάλογον, eodem Jure proditum fuisset, quo id quod nobis debetur ordine quodam persequeremur. *argum. l. 7. in princ. d. pactis.* Quæ tamen opinio, indiget distinctione quâdam in vulgus jam approbatâ. Nempè, ut Juris gentium censendæ sint eæ tantummodò actiones, quę oriuntur ex contractibus Jure gentium adinventis. Qualis enim est caussa, talis quoq; est effectus: & quod est caussa caussæ, itidem existit caussa caussati, ut Logici docent.

Formulæ quidem actionum Juris sunt civilis: *l. 2. §. 6. d. orig. Iur.* sed tamen jam anteà fuerunt etiam actiones. *d. l. 2 §. 1.* Addere hìc lubet & illud: Juris gentium actiones per se haut esse efficaces, sed approbatione civili indigere (hincque dicuntur omnes actiones, vel ex Lege, vel ex Senatusconsulto, sive ex sacris Constitutionibus proficisci, vel ex Prætoris Juridictione pendere. *§. 3. Instit. d. action. in princ. Instit. d. perpet. & temporal. action.*) æquè ac obligationes merè naturales, nullam per se pariunt actionem foro Romano accommodatam. *l. cùm amplius §. is naturâ. d. Reg. Iur. l. 13. d. condict. indebit.* Verùm quemadmodùm obligationes naturales, Jure civili approbatæ, non ideò Juris civilis esse reputantur. *fac. l. 5. in princ. d. auctor. tutor.* sic nec hoc de actionibus dici debere, existimamus.

Tandem quod de Actionibus, hoc idem de exceptionibus pronuntiari debere, puto. *v. tamen Dn. Ilic. Vmmium, amicum meum, disp. ad process. 7. num. 6.*

Lex 6. Tit. 1. Lib. 1. ff.

1. Jus proprium, id est Civile efficimus; cùm aliquid addimus, vel detrahimus Juri naturali. *hâc l. nostr. in princ.*

Jus hoc, variis in locis varium existit: quod eleganter explicat Aristoteles; *5. Ethic. cap. 7.* ubi scribit: illa quæ Lege tantùm valent

valent, similia esse mensuris, non enim ubique æquales sunt mensuræ vini & frumenti. Convenit id cum Jure gentium secundario, in eo; quòd utrumque sit legale seu positivum: utrumque per discursum & ratiocinationem constituatur, non à simplici ratione imprimatur. Verùm Juris civilis fundamentum, non in utilitate communi; sed particulari alicujus Civitatis vel Reipublicę solùm, consistit: & proindè ex unaquâque Civitate appellatur. *§. 2. Instit. d. Iur. nat.* Quo sensu Div. Lactantius scribit: Cur enim per omnes populos diversa & varia jura condita sunt, nisi quòd unaquæque gens id sibi sanxit, quod rebus suis utile putavit. Etsi autem necesse sit, legum omnium in omni gubernatione primas esse eas, quæ ex naturâ & rectæ rationis notitiis, tanquàm normis rectricibus disciplinarum & vitæ, immediatè proveniunt, tamen Magistratibus dedit Deus mandata, ut ipsi leges aliquas superaddant: sed naturæ præceptis in effectu congruentes; quæ aliquas tantùm Divini, seu (ut JCti loquuntur) Naturalis Iuris determinent & explicent circumstantias. *Velstenius, quæstion. polit. decad. 5. thes. 6. & 7.* In his explicationibus Magistratuum sententia valet: & propter rationem probabilem Naturæ congruentem, & propter auctoritatem, quam Deus Magistratui est largitus: ejusque præcipuum est munus, ut addat in hâc civili vitâ, tum explicationes, tum adminicula Legum Divinarum. Ex quo porrò sequitur, ut si Lex recedat in totum à ratione naturali, non Lex ea sed tyrannis sit: è contrario, si per omnia Iuri gentium vel naturæ deservit; tunc, propriè si loqui velimus, non civilis evadit, sed naturalis manet. *h. l. n. in princ. Duaren. ad l. 1. in princ. de pact.* Vix ergò subsistit, quod tradunt alii; Ius civile sumi interdùm universaliter, pro omni Iure in politiâ Romanâ recepto; ita ut etiam Ius naturale & gentium sui ambitu complectatur. *Iohan. Stuck. decad. 1. assert. 4. ad finem.*

Et hoc tandem Ius, nec in unâ semper Rep. omni tempore idem manet: etenim quâ ratione utilitatis intuitu, initio quid est introductum; eâdem ratione, si utilitas cõtraria se ostendat, mutatur *§. penult. Instit. de jur. nat. c. non debet. extr. de consang. Trentl. 1. thes. 5. 4. ad fin. & dixi disputat. polit. 3. thes. 9. class. 1. & disput. 2. thes. 38. class. 2.* Verùm mutabilitas hæcce, non in arbitrio Legulejorum, nec in perruptionibus potentiorum; sed in potestate Majestatis,

certâ ratione, temporibus quæ maxumè utilia videntur Reipublicæ accommodantis, consistere debet: nec facilè est suscipienda. *l.23.d.legib.l.12.d.constit. Princip.*

2. Ad Legis essentiam, scriptura num requiratur, diversæ sunt sententiæ Interpretum nostrorum. *vide Morlam, in empor. Iur.tit.1.quæst. 4. Cornel. Benincas. ad tit. ext. de constit. quæst.8. Dn.D. Harpprecht. ad §. sed & quod Principi. num.27.&c. de jur. natur. Anton. Fabrum, in Ration. ad l.32.d.ll. Hackelman. quæst. illustr. disputat. 1. thes. 6. a. & b. Tileman. disput. pandect. 2. thes. 26. volum. 1. Stuck decad. 1. assert. 5. b. & c. Niell. disput. feud. 1. th. 2. Iacob. Cramer. disput. 1. thes. 18. Matth. Stephani, disput. ad Inst. cent. 1. thes. 15. Arumæ exercit. 1. thes. 16. Treutler. disput. 1. thes. 5. b. Hænnon. disput. ad Instit. 1. thes. 15. Forster. tractat. Justin. disput. 1. thes. 34. Andr. Gerhard. disput. ad Inst. decad. 1. thes. 6.*

Ego scripturam minimè de essentiâ, nec etiam de existentiâ Legis, ejusve (ut quidam loqui malunt) adjunctum necessarium esse; in eoque tantùm ab eo Jure, quod consuetudinarium adpellitamus differre puto; quòd hoc tacito consensu, illa Imperantium sanctione expressâ inducatur. Sic namque respondetur, *in l.32. §.1. de Legib.* ipsas Leges nullâ aliâ ex causâ nos tenere, quàm quòd Iudicio Populi sunt receptæ, aut suffragio Legislatoris approbatæ. Ergò ad substantiam Legis, aliud nihil necessarium esse apparet; quàm ut Populus, vel quivis alius Legum ferendarum habens potestatem, expresso consensu, eam constituat & promulget: non ut ea etiam in scripturam redigatur. *quod idem firmatur can. constitutionis 25. quæst. 2. ibi: sive quæ scripto.* Et sic plerasque Leges Lycurgus; *§.10. Instit. d. Iur. natural. &c.* ut & Romulus, sine scripto tulit: *Dion. Halicarnass. antiq. Rom. lib. 2.* quas tamen nemo consuetudines vocaverit. Sic Pomponius IC. *in l.2. §. 12. d. orig. Iur.* Ius quoddam esse dicit, quod sine scripto, in solâ prudentium interpretatione consistit. Sic & hodiè fieri potest, ut Lex aliqua omni ex parte valida sit, quæ tamen non sit scripta. Et ita Lex est, quod interloquitur Princeps de plano: *l. 1. §. 1. d. constit. Princip.* hicque ut alibi sæpè, *l.6. C. qui bonis ceder.* sufficit sola professio voluntatis. Ita & Portugalliæ famosissima Lex, Mentalis vulgò dicta,

dicta; à Iohanne I. oretenùs lata fuit, & ab Emmanuele, ejus pronepote demum scripta. *Cachéran.conf.in cauf. Lusitan.nu.1.*

Non ab hâc sententiâ dimovere me queunt, in contrarium quę adferri solent. Quod enim (1) attinet § *constat.3.& §.fine scripto.9. ac seq.Inst. d.Iur nat.&c. ac hâc leg. nostr.§.1.* ad hos & similes textus responderi potest; respicere illos quod communiter accidere solet. Leges quippè, ut plurimùm scriptis mandantur; apertius ut percipiantur, & ne veniant in oblivionem. *l. 2. §.exactis d.Orig. Iur. cap. 1. d. renunciat. in 6.* Quodque innuitur non uno loco; Ius duplex esse, scriptum & non scriptum: non sanè respiciunt ibi Iuris nostri conditores ad exarationem litterarum, sed ad expressam sanctionem; quâ Lex à consuetudine (quæ auctoritate Ciceronis, Ius est à vetustate sine Lege expressum) specificè separatur. Sicut Græcis quoque γράφειν νόμους, non est litteris scribere; sed ferre & sancire leges. (2) Notatio Legis, à legendo deducta, parvi est momenti, & meo animo falsa. Legis ergò etymon, non à legendo, sed à ligando dependere malim. Non hic litem dirimere potest prosodia: quippè cum in lego, æquè ac in ligo, prima sit brevis; quæ producitur in voce leges. Quin licet à legendo, legem fluere concedam; attamen lego non est propriè ex breviculo recito, sed multa colligo, conjungo: & sic Lex est, quasi aliquid ex plurimis ceu regulis collectum. *Christian. Becman. in Orig. verbo Ecloga. Bolognet. d. lege Iure. &c. cap.3. nu. 30.*

Quemadmodùm autem Leges scribi non est necesse; ità Consuetudines in scripturam redactæ, Leges non fiunt: solum namq; tacitum populi consensum ponderant Iureconsulti; non etiam quod ex post facto supervenit. *argum.l.36.d.legib.Lyclama.7. membr.eclog.39.§.2.Hilliger.ad Donell.1.cap.10. Vultej. & Anton.Matth. ad §.3. Inst.de Iure nat.&c.* Nisi id fiat publicâ auctoritate, novâ accedente confirmatione. Et proindè Ius Feudale, non effectum est Ius scriptum; sed etiamnum, ad Ius saltem non scriptum referri debet. *Robert. Marant.part.1.num.83. Sonsbeck.part.3.num. 24. & seq. Caphallos.tom.3.commun.opin.quæst.887.Vultei.1.d.feud.num.1.& 2. Niellius, disputat.feud.1.thes.2. Aruma.disp.feud.1.thes.20.*

3. Quamvis Lacedæmoniis scriptæ quoque leges fuerint: Livius enim.38. ab V.C. Lacedæmoniis inter cætera imperatū

refert, Lycurgi ut leges moresque abrogarent. Et Xenophon, 5. *histor.* tres legum tabulas, quas Rhetras vocabant, à Lycurgo relictas esse testatur. *adde Nic. Cragium. 3. de Rep. Lacedæm. c. 1.* Non inepta tamen videtur comparatio Juris Romani cum Atheniensi & Lacedæmoniorum; *in §. non ineleganter. 10. Instit. de Iur. nat.* secus ac putavit Clariss. Vultej *ibid. num. 3.* Imperator enim, ad id quod potissimum, respexit. *Dn. Gothofred. ad d. §. in edit. postrem.*

Lex 7. & 8. Tit. 1. Lib. 1. ff.

1. Juris Civilis significationes & partitiones, variorum variæ existunt.

Jus civile in generaliori significatione, omne id quod Juris alicujus auctoritatem in Repub. Romanâ obtinet, quocunque illud introductum sit modo, comprehendit: *l. 6. l. 8. hoc tit. l. 2. §. 5. ibi: communi nomine. d. Orig. Iur. §. 1. & 3. de Iur. nat. Cramer. disput. 1. thes. 19. adde l. penult. de lib. & Cuiac. 14. observ. 16. Bened. VVinckler. d. princip. Iur. 5. cap. 11.* quamvis id minùs propriè fiat. Propriè namque in eâ accipitur notione, quâ suprà, *ad l. 6. §. 1.* definitum fuit. Strictiori significatu, pro solemni sumitur Jure; quodque Prætorio tanquàm diversæ speciei opponi solet: *hâc l. nostr. 7. l. 14. d. testib. l. 20. §. 7. qui testam. fac. poss. l. 27. in princ. d. Reg. Iur. Vultej. ad §. 1. d. Iure nat. &c. Donell. ad §. sed ista. Inst. d. action.* Sicque actiones, in civiles & prætorias dividuntur, &c. In strictissimâ significatione, Prudentum saltem complectitur responsa: *l. 2. §. 5. de orig. Iur.* hoc est, Juris civilis artem, seu id quod ex illâ arte responsum fuit.

Juris autem Civilis in strictiori sententiâ usurpati, quinque *in hâc l. nostr.* species referuntur: Lex, Plebiscitum, Senatusconsultum, decretum principale, Responsa prudentum. *vid. Donell. & ibi Hillig. 1. comment. 8. Stuck. part. 1. dec. 1. assert. 6. per tot.* Justinianus, *in tit. Inst. de Iure nat. &c.* Magistratuum addit edicta: sicque Jus civile dividit, pro ut in latiori accipitur significatu. Hasque species diversas, diversitas regiminis quam passa est Civitas Romana produxit. Etenim exactis Regibus, omnis potestas ferendæ Legis, penes Populum erat; qui si id faciebat universus, in

specie

ſpecie, & κατ' ἐξοχὴν Lex vocabatur; ſi per Plebem, Plebiſcitum; ſi per Senatum, Senatusconſultum. Cùm verò Principatu eveniente, per Regiam Legem, omnis Juris condendi poteſtas in Principes translata eſſet; ii quidem publicum Jus, quatenus ſtatum liberum & democraticum concernebat, immutàrunt; ac ea omnia, quæ faciunt ad vim dominationis conſtituendam, Principatumque reverâ firmant, amplexi ſunt omnia vehementer. Legibus, Plebiſcitis, SCCtis, & ſi quæ ſunt ſimilia, Jus privatum concernentia, non ſolùm retentis: ſed & ſub ipſo Principatu, Senatui Juris faciendi poteſtate aliquâ (at planè imaginariâ) competente. *l. 9 d. Legib. tot. tit. C. SCCtis.* Ut nempè ſub ſpecie Iuris antiqui dominantes, odium ac invidiam tam magnæ mutationis, incurrerent eò minùs. *ut attigi tract. d. appell. cap. 2. num. 3. & diſputat. polit 5. theſ. 4. & ſeq. claſſ. 1. ac diſputat. 5. theſ. 24. &c. claſſ. 2.* Eoq; factum fuit, ut Legum à Populo, Plebe, Senatu, Magiſtratibusque latarum, adhùc memoria ſuperſit. Poſt Iuſtinianum, Iuris Civilis unica tantùm ſpecies eſt, Principum nempè conſtitutiones. *VVeſenb. in parat. ff. de legib. num. 3.* Ita ut rectè dicat Donellus; *1. comment. 9.* manere quidem reliquas partes, ſed non ampliùs fieri. Et Iuſtinianus omnia ſua fecit: *l. 1. §. omnia. l 2. §. tanta. C. d. Vet. Iur. enucl.* ipſiusque ideò Novellæ, nullius alterius nomine præfulgent. *vid. Novell. 8. & Duaren. d. Iuſtit. & Iur. cap. 2.* Quæ tamen omnia, pro diverſitate Reipublicæ formarum, rursùs variationes multifarias habent. Sicque hodiè in Imperio Romano, Legem condit Imperator; attamen non ſine aſſenſu Electorum, Principum, & Imperii Civitatum: ac idcircò iiſdem Legibus poſtea Imperator Statibus, & Status Imperatori, vi cujuſdam contractus obligantur. Hincque in fine Receſſuum Imperii, ea ſe ſe offerunt plerunque verba: So haben wir uns demnach mit den Ständen des Reichs / und sie hinwiderumb mit uns sich verglichen / rc.

2. An Prudentum reſponſa, vim Legis obtinere poſſint, dubitare ſupervacaneum eſſe puto. *vid. AEgid. Strauch. illuſtr. quaeſt. Ethic. cent. 2. decad. 5. theſ. 3.* Et ipſe Laurentius Valla, illis licet deneget nomen Legum; iis nihilominùs concedit earundē auctoritatem. *Ferrarius, comment. ad tit. Inſtit. 2. lib. 1.* Quod tamen non ſubaudiri debet, de quibuslibet Jureconſultorum reſponſis;

responsis; sed de sententiis, paulatim utilitate suadente à Populo probatis: ut Radulph. Fornerius docet. *5. rer. quotid. cap. 3.*

3. Prudentium illa responsa, pertinent ad Jus scriptum. *hâc l. nostr. & §. constat. Instit. d. Iure nat. gent. &c.*

Pomponius quidem JCtus, *in l. 2. §. 5. d. Orig. Iur.* Prudentium responsa, inter Jus non scriptum refert. Verùm is respicit tempora antiquiora; magisque eò loci historicum agit. *Pacius, ἐναντιο Φ. quæst. 8.* (2) Nil quoque nobis obstare videtur, quòd *in l. 7. §. 7. d. pact.* ut & *in l. 1. in fin. ex quib. causs. major.* Iuris legitimi recensentur partes; & tamen Prudentum responsa omittuntur. Non etenim ibi quæstio est, de partibus Iuris; sed quæ pacta valeant, & ex quibus caussis majores sint restituendi: inibique respondetur, illa pacta valere, quæ non sunt contra Leges, Senatusconsulta, plebiscita, vel Principum rescripta; illis ex causis restitui majores, quæ sunt Legibus, Senatusconsultis, &c. approbatæ. Sanè Prudentum responsa utrobique non immeritò omittuntur: minimè etenim situm erat in potestate Iureconsultorum, ea approbare pacta, quæ Leges vel Constitutiones improbarent; vel alias restitutionis majorum prodere caussas, &c. Non enim Ius planè novum sanciebant, sed Ius jam constitutum interpretabantur.

Iureconsultorum Veterum munus, in quatuor præcipuè rebus positum collocatumque olim fuit. (1) Formulis namque præerant (2) Cavebant, seu consilium clientibus fidele dabant, ut in Contractibus Testamentisq; eò securiores essent. (3) Quando casu & eventu Leges collidebantur, ipsi eas conciliabant: Testamentorum etiam & contractuum sententias, si obscuræ vel ambiguæ essent, explicabant. (4) Et tandem, si neque Lex extabat, neq; Testamentum vel pactiones aderant, ipsi quod æquum bonumque esset, interrogati respondebant. *Val. Forsterus, histor. Iur. lib. 2 cap 81.* Eaque responsa, tantæ olim fuerunt auctoritatis, ut Iudici ab iis recedere haud liceret. *§. responsa. de Iur. nat. l. un. C. Th. de resp. prudent. Cujac. 8. observation. 12.* Iustinianus verò, quemadmodùm veterum Iurisconsultorum centonibus, qui in Pandectis habentur, Constitutionum dedit robur: ita à suo tempore, Iurisperitorum auctoritatem, probabilem esse voluit, non necessariam. *const. d. confirm. ff. ad magn. Senat. §. 20. & seq. l. nemo. C. de*

sentent.

sentent. & interloc. gloss. in l. 1. C. de professf. Bl. in auth. generaliter. C. de Episc. & Cler. Nostra ars Juris (ait Anton. Faber, *in rational. ad l. 15. ff. d. legib.*) non scientia, sed prudentia adpellatur. At neque prudentia sufficit; sed auctoritate quoque opus est: ut ait Paulus JC. *in l. 16. tit. eod.* Quæ auctoritas, nulla certè est in nostri temporis Interpretibus; adeò distant illi à veteribus nostris prudentibus: sed in iis tantùm qui Jurisdictioni præsunt; maximè verò in Magistratibus supremis, qui vice Principis funguntur, &c. Hincque levi facilitate, Responsa tam Collegiorum, quàm privati alicujus Doctoris, in Judiciis reformantur: & sunt quoque (si credimus auctori Parthen. litigiosi, *1. cap. 11.*) ridicula haut rarò, contraria, nulla, & impossibilia quò ad executionem.

Sed ajunt tamen, Consilium duorum Doctorum approbatorum pro se habentem, à litigandi temeritate excusari: adeoque, ut quamvis causâ forsan cadat, in litis tamen expensas haud debeat condemnari. *Bald. & Salicet. in l. Iuris. ff. qui admitti ad bonor. possess. Asinius. in prax. Iudic. c. 2. limit. 3. & ejus sublimit. 1. & 2. Gail. 1. observ. 152. num. 6.*

4. Porrò Augustus Imperator, cùm omnibus promiscuè se se ingerentibus, Prudentium responsa in contemptum venire videret; primò constituit, ut qui responsuri essent, Principis id facerent concessione: quod posteri sequuti sunt Imperatores. Verùm Hadrianus, pulchrius esse existimans, respondendi munus promeruisse potiùs, quàm obtinuisse; Jurisperitis petentibus, ut de Jure sibi respondere liceret, hoc munus, non peti solere, sed præstari, rescripsit. *Erasm. apophth. lib. 8. pag. m. 681. l. 2. §. post hunc. 47. vers. & ut obiter. d. Orig. Iur. l. 14. §. fin. C. d. Assessor.* Hodiè Principali potestate; Jureconsulti ab Academiis renuntiantur. Doctorum etenim renuntiatio in quâvis facultate, Regalibus accensetur; idque neminem negare, attestatur Joannes Camman, *in eruditissimo suo Collegio Politico Iurid. disputat. 3. thes. 47.* Hujus verò Juris exercitium, Gymnasiis universalis studii, saluberrimo consilio contulerunt Imperatores. Quamvis Academiæ nonnullæ, privilegia sua & confirmationes, habeant à Pontifice solo; jusque Academias constituendi, habitum olim fuerit spirituale. *Bachovius, ad disp. Treutl. 1. th. 7. f. 28.*

5. Annè verò Doctores creati à Comitibus Palatinis, quos Bullatos communiter vocitamus, iisdem privilegiis gaudent, quibus ii de jure fruuntur, qui in Academiarum Brabeuteriis publicè designantur? Quod, ut communius fit, & ego nego. *Colerus, tract. de process. exec. part. 2. cap. 3. nu. 129.* contra *Treutlerum, disput. 1. thes. 7. sub lit. a. (ubi vid. Bachovium) volum. 1. Matthiam Stephani, tract. d. Iurisdict. 2. part. 1. cap. 6. membr. 1. Speckhan. cent. 1. quaest. 22.*

Quamvis enim Doctoratus, quaedam dignitas sit; ipsaeque Academiae, Caesareâ auctoritate (ut jam dixi) non jure proprio ejusmodi gradus conferant dignis. Attamen non ego hìc auctoritatem solùm requiro creantis; sed vel maxumè eruditionem & habilitatem creati: de quâ, quis quaeso meliùs judicabit, quis certiùs attestetur, quàm qui eo in negotio, omnium judicio exercitati peritique habentur? Non ipsius Imperatoris (qui plerunque talium minutiarum incuriosi) non unius Comitis Palatini (accedat licet unus atque alter harum rerum peritus, fortuitò vocatus) sufficere videtur; sed de certâ scientiâ testimonium exigitur omninò. In Academiis è contrà sunt jurati Examinatores, & publicam habentes ejus rei vocationem: studiosorum ibidem succedit applausus; in quorum praesentiâ, de more varia specimina edere solent Candidati; Nobilitatem & dignitates similes, pro lubitu conferat Imperator; Naturales legitimos pronuntient Comites Palatini, & si quae his non dissimilia, expediant iidem ritè: alia negotii hujus de quo nunc quaerimus, est natura; quod nempè (ut innui paulò antè, *thes 4.*) praestari magis, quàm dari solet. Hincque extat Bulla Pii V. P. Max. de Codicillaribus, seu Bullatis Doctoribus non creandis (de Anno 1568. Kal. Junii) quae apud Middendorpium extat, *1. de Academ. cap. 13. fol. mihi 129.*

Maximoperè autem cavere debent ii, quibus talium praemiorum distribuendorum cura publicè est commissa; ne, in illius qui ea petit, tum & in Reipublicae detrimentum, indignis unquàm conferantur. Inepti enim, dignitate illâ onerantur magis, quàm honorantur: dum honoribus, nomine dignis, praefici non possunt, minimis nolunt. Undè accidit plerunque, ut in splendidâ miseriâ vivant, non rarò etiam moriantur. Respublica itidem,

con-

confiſa judicio diſtributorum, curiæ præficit nonnunquàm; qui cùm muneri ſibi demandato pòſt impares inveniuntur, unâ cum Academicis honoribus, in dedecora turpiter incurrunt. *adde Thom. Sagittar. quæſt. illuſtr. Philoſoph. centur. 1. decur. 8. theſ. 7.* Confert hûc, quod Palingenius canit, *in Virgine;*

—— Proh Dii, nunc nomina tantùm
Magnifica, & claros titulos ſibi quilibet optat,
Arrogat, affectat, ſequitur, rapit: ut meritò jam,
Et ſe aſinus pardum vocet, & formica leonem.
Quis non vult ſapiens, generoſus, juſtus haberi,
Et probus & doctus? Contentus cortice ſolo,
Atque umbris rerum ut tali velamine mores
Occulat infandos: lis eſt de nomine, non re.

Et porrò non eſt, quòd quis ſibi debeat perſuadere; ea quæ in Academiis ſtudia tractantur, ad Sapientiam ducere quenquam: comitem niſi habeant ſimplicem humilitatem, & eruditionem omni faſtu contemptuque illiteratorum prorsùs carentem. Nempè ut indignos promovere, turpe: ita magis perniicioſum eſſe videtur, ſi qui ingenio & eruditione valent, vel eo non ex uſu Reipublicæ utantur, vel ſuâ ſcientiâ inflati ſuperbiant; ex mundanarumque, & eâ rerum peritiâ, quæ non ad hominem æternum & immortalem, ſed exteriorem mortalem, requiritur, Idolum faciunt: quod cultorem ſuum, nec à morte eripit, nec vitâ defunctum comitatur. Et qui cùm plurimùm ſciverint; à Diabolo tamen variâ rerum ſcientiâ vincuntur.

Quò pertinet quod Sebaſtianus Caſtellio ſcribit *libro de calumniâ, c. 20.* Auditis hæc ô homines? quod ſi auditis, & ſi in Dei filium creditis, cur à ſapientibus & doctis, rerum Divinarum ſcientiam petitis, non à parvulis, & humilibus? Quæ eſt iſta cæcitas? qui veternus, tam apertæ veritati non credere? Et quæ ibi sequuntur. Divus quoque Lutherus, de Academiis nimis rigidè cenſere videri poſſet, qui *Tomo Vvitebergico: 2. de Miſſâ privatâ, fol. 276.* ita ſcribit. Ultimum eſt idolum Moloch, quòd à Malachi, id eſt, regnavit, venire non eſt dubium. Et ſervus ille Pontificis, cujus Petrus abſcidit auriculam, Malchos vocatur, Regius ſcilicet καὶ βασιλικὸς. Hujus cultum deſcribunt Moſes & Jeremias, fuiſſe ejuſmodi, ut filios ei igne exurerent, arbitrati ſcilicet, Deo maxi-

mum & summum obsequium sese præstare, quòd exemplo Abrahæ filiis propriis non parcerent; non modò non vocati sicut Abraham, sed etiam sine fide, & cum summâ impietate. Ideò non Deo, sed Dæmoniis eos lustrâsse filios suos, Psalmus 78. testatur. Quod enim illo vocante & mandante non fit, non sibi sed Dæmoniis, qui hoc suggerunt, fit; quantumlibet nomen Dei prætexatur. Academias ergò hic putabo figuratas, in quibus optima & electior pars Juventutis Christianæ offertur, quasi in holocaustum Deo: ut ibi erudiantur, & toti divini fiant. Credit enim vulgus, nõ esse locum sub Cœlo, in quo possit juventus rectius institui; adeò, ut & Religiosi hûc cõvolent. Extra enim Academias didicisse: est nihil didicisse in Academiis verò studuisse, est omnia nosse; ibi Divina & humana omnia doceri putantur. Nemo.n. hûc filium mittit aliâ opinione, quàm quòd non possit usquàm melius mitti: summum Deo obsequium præstant, quòd filios offerunt formandos ad eruditionem pietatis, utiles futuros Sacerdotes, Prædicatores, Rectores, qui toti fiant peculium, quod Regem vel Regium significat; quòd hoc genus studii, faciat insignitos gradibus promotionibusq; & idoneos ad regendũ cæteros, &c. Hisce ferè similis est censura Iohan. Wesseli, *lib. de Sacramẽto pœnitentiæ, f. m. 788.* Ubi ait: Grande & grave contra Universitates argumentum: quòd Paulus Athenis parvum fructum fecit, majorem operatus in Corintho vicinâ Civitate, & in Thessaliâ tunc ferè barbarâ; quàm in Atticâ Civitate, ubi tunc fons erat Græcæ Sapientiæ. Studium ergò liberale non valdè Deo placet. Et reverâ, sicut ego Coloniæ & Parisiis vixi, & quæ vidi, odiosa Deo magis sunt: non studia Sacrarum literarum, sed studiorum commixtæ corruptiones. Non absimilia sunt his, quæ passim de literis scribit, in libris Confessionum, Divus Augustinus. Deus, Deus meus, quas ibi miserias expertus sum, & ludificationes; quandoquidem rectè vivere mihi puero id proponebatur; obtemperare monentibus, ut in hoc seculo florerem, & excellerem linguosis artibus: ad honorem hominum, & falsas divitias famulantibus. *libr. 1. c. 9.* Non qui me ad literas urgebant, benè faciebant: sed benè mihi fiebat abs te Deus meus. Illi enim non intuebantur quò referrem, qui me discere cogebant; præterquàm ad satiandas insatiabiles cupiditates copiosæ inopiæ, & ignominiosæ gloriæ. *libr. 1. c. 12.* Vela pendentlimini-

minibus Grammaticarum Scholarum; sed non illa magis horrorem secreti, quàm tegumentum erroris significant *libr. eod. cap. 13. vid. etiam, c. 16. 17. 18. 19. & libr. 2. c. 3. libr. 3. c. 3. libr. 4. c. 16. libr. 9. c. 2. &c.* Non hæc omnia, crede mihi vel Divinæ vel humanæ prudentiæ improbant cultum; non loca ubi eas studia traduntur diris devovent; sed abusum vitare discunt, erudiunt de vero usu literarum: Nempè ut sobriè & omni absque vanitate eas tractemus ad solam Dei gloriam, proximique emolumentum respicientes: Quod & sequentibus exprimit verbis idem Wesselus *ibid.* Omnis alta professio, frigida affectio, pestis est in Ecclesiâ Dei. Igitur qui principatum, præsidentiam, præeminentiam, dignitatem, Religionem, Doctoratum, Sacerdotium, Pontificatum suscipit; si adhuc divitiis, delitiis, honoribus, ambitioni inhiat, in cathedrâ pestilentiæ sedet, &c.

6. Doctorum, quas vocant, sententiæ communes, necessariæné sint & jus faciant? quæritur hîc non impertinenter. *videtur Nevizan. lib. 6. sylv. nupt. Anton. Mari. Corat. tract. de com. opin. Caphallos, opin. com. contra com. quæst. 1. Treutler. disput. 1. thes. 8. Stuck. part. 1. decad. 1. assert. 5. lit. d. Matth. Steph. disput. Inst. cent. 1. thes. 20. Hunnius, d. interpr. 2. cap. ult. quæst. ult. & alii, quorum nomina commemorat Delrio, in Miscellan. ad l. un. de offic. Quæst. ac dicam infrà ego plura, ad l. 23. d. legib.*

Illud extra aleam contradictionis positum esse videtur, communem opinionem, debere esse de jure dubio, nec contra jus apertum: eamque ita vocari; non quæ simpliciter plures habet auctoritates; sed quæ nititur testimonio plurium graviorum auctorum, non unius atque alterius, & fortè haut supremæ eruditionis Iureconsulti; quamvis in terminis, uti vocant, loquatur. *Nicol. Betsius. d. pact. famil. illustr. cap. 6. fol. 147.* Monent hîc itidem & illud Doctores nostri, non pro approbatâ sententiâ id habendum esse, quod Iureconsulti dicunt incidenter, aut in Consiliis, ad propositi sui colorem: quàmvis adhuc sub Iudice lis sit; Consiliisné an Lecturis, plùs fidei sit attribuendum. *Auctor Parthenii litig. 2. cap. 5. num. 31. & seq. Stuck. disput. ad Inst. part. 1. decad. 1. assert. 1. sub lit. d.* Andr. Alciatus, *12. parerg. cap. ult.* ex professo scripsit in eos Iureconsultos, qui responsa sua evulgant. Etenim, ait ille, qui

malam caussam habent, cùm Iudicii examen formident, ad celeberrimi quemque nominis Professorem accurrunt, & precibus, pretioque exorant, ut suscipere caussam suam velit; at ille omni ingenii acumine, summis viribus contendit, ut eum adjuvet, exemplumque insinceri illius Rhetoris nempè Protogoræ imitatur; qui ut est apud Aul. Gellium, profitebatur se docere, quâ verborũ industriâ caussa infirmior vinceret, & supior efficeretur. Hàc certè in re, quò quis est ingenio acutior, eò periculosius peccat. Prætulerim ego Barbatiæ, Jasonis, Parisii consilia; iis quæ Socinus aut Decius edi lit: quòd illi crassiore Minervâ viri quo.ies malè consulunt, tam apertè & palàm, tam rudibus rationibus id faciant, ut statim deprehendi fucus possit; oporteatque egregiè bardum illum esse Iudicem, qui non videat. Contrà Decius, aut Bartholomæus Socinus, subtili viri ingenio, tam dissimulanter, tam cautè in hoc delinquunt, ut etiam peritos possint fallere, &c. Sed contra Alciatum, Apologiam edidit Tiberius Decianus, quæ ob variam eruditionem, digna est omninò quæ perlegatur. Ubi pro Responsis contra Lectiones multis propugnat. Ac *cap. 13. n. 24 & sequentibus*, ita scribit. Porrò non video, quâ ratione Picus & Alciatus, exprobaverint ambitionem consulentibus; cùm nullum credam inter mortales vivere, qui majore ambitione torqueantur, quàm è suggestu docentes. Ambiunt enim auditorum frequentiam, & prece, ac non nunquàm pretio discipulos ad suum auditorium trahunt, & à Collegâ abalienant. Irridentur etenim, & negliguntur Doctores illi, quorum Scholæ frigent penuriâ audientium; pro ut Mennam quendam deridet Martialis, his versibus:

Iura trium petit à Cæsare discipulorum;
Assuetus semper Menna docere duos.

Et Juvenalis *Sat. 7.* sic canit:

Pœnituit multos, vanæ sterilisq; cathedræ.

Interpretes (pergit ille) subtilitatibus vanis pascunt auditores, ut ingeniosi videantur. Contra quos invehit Baldus; dum ultramontanos reprehendit, quorum subtilitates, trufas appellat: quod tamen nihil aliud est, quàm credita sibi auditorum ingenia perdere. Hinc fit, ut multi in Interpretationibus reprehendantur, qui in Responsis laudantur. Et proindè ego utrisque, tam scil. Con-

siliis

filiis quàm lecturis, præferrem Tractatus (quos quidam domi privatim magno labore studioque concinnare solent) & quoque Decisiones Tribunalium summorum, inibiq; habitas Relationes.

Sanè verò communes hasce opiniones in judicando sequi, ex re publicâ esse videtur. Reipublicæ namque expedit, non solùm Jus certum habere; sed & interpretationem certam. Quo intuitu scribit Dn. Gothofredus: *ad Novell. 18. cap. 5.* Communi opinioni in re dubiâ, vix ausim quicquàm derogare: præsertim si Legis scriptę duritiem corrigat, aut ejus suppleat defectû. Et sic olim quoque fuerunt Jureconsultorum sententiæ receptæ; quas collegit Paulus JC. & cum notis Cujacii ac Ritterhusii adhuc dum extant: & fuit opinationis communis, haut leve momentum. Hincque respondet JCtus, *in l. 4. in princ. de his qui not. infam.* & generaliter ita omnes opinantur; ut & *in l. 12. §. 26. d. instr. vel instruct. legat.* hanc sententiam quotidiè increscere videmus; crebrior apud veteres opinio est; *l. un. in princ. d. offic. Quæstor.* nam ità prudentes hoc hoc sunt interpretati *l. 31. §. final. d. vulgar. & pupill. substit.* Ac rescribitur; *in lib. 1. tit. 4. Cod. Theod.* si diversæ sententiæ proferantur, potiùs numerus vincat auctorum: licet Ulpianus *in l. 15. §. fin. d. rei vindic.* veritati magis, quàm ei quod plerique ajebant, in quæstione ibi propositâ præbuerit assensum. Justinianus quidem, Jus aliquod omnibus casibus accommodum, voluit promulgare: sed hoc cùm impossibile fiet, & ita eveniat naturâ, ut latâ Lege, semper auctoritas & interpretatio desideretur Prudentum: *l. 2. §. 5. de Orig. Iur. l. 10. d. Legib.* expedit ideò, Jus aliquod habere certum quód sequamur. Hâc verò in parte, ex unius atque alterius scioli vel novatoris judicio stare; ambitio, & quæ semper ambitioni juncta esse solet, inscitia est. Raró etenim loquitur benè, qui loquitur contra omnes: *Bald. consil. 112. num. 2. volum. 1.* & in quæstionibus dubiis, vel propriam, vel paucorum sequi opinationes; planè est opinari. Variæ sunt hominum voluntates; magna est in hominibus dissimilitudo opinionum & voluntatum; dolore alii moventur, alii cupiditate, ambitione, vel quo alio affectu, & nos & alii trahimur, inviti nonnunquàm atq; ignorantes:

Mille hominum species; & rerum discolor usus,
Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno.

Hæc inter avia errorum, imbecillitas humana, pluralitate virorum prudentium si non ducitur, seducitur. Non quippè in eo ca-

su versamur, ubi errantium multitudine, Jus Divinum vel naturale pervertatur; tunc enim veritati, etiam cum pertinaciâ inhærere, animæ salus æterna nos monet: sed illa, de quâ agimus, opinio communis, pro objectio habet Jus saltem illud, quod Aristoteles, *5. Ethic. 7.* Legitimum vocat, & quod initio nihil differt, sic an aliter constituatur.

Est & praxis forensis, ad proxuma maxumè tempora referenda. *l. 37. d. Legib.* & ideò posthabitis sensibus Neotericorum, noviter excogitatis, servanda regulariter sunt illa, quæ diu similiter obtinuerunt: etsi Iure scripto non per omnia consentanea videantur. Et hic est studii Practici cum Theorico conjungendi fructus adprimè magnus; ut neque minutias theoricas, sæpè numero sub manibus, præ nimiâ subtilitate evanescentes, immoderatè admiremur, iisve diutius immoremur. Multa usibus Reipublicæ sunt condonanda; de iisque si in Foro præfractè litigare, vel Cujacii, Donelli, Anton. Fabri, parilisque farinæ aliorum traditionibus uti velimus; seduxerimus nos ipsos, & unà clientulos nostros. Vitanda ergò sedulò (quod opportunè Timæus Faber monet, *Disput. 3. ad Inst. thes. 7.*) illa quorundam confidentia, atque effrænata lubido, omnia in dubium vocantium in Scholis: ne mox cum periculo ac pudore dediscere, quæ operosè anteà hauseris, cogaris. Quâ de re elegans est exemplum, in Nevizani Sylvâ nupt. *lib. 5. sub num. 61.* Sinamus ergò illos Novatores, vel meros historicos esse; vel apud Rhadamantum restituere Tribunal Romanũ, coram quo caussas suas agant; cùm nauseent ritibus receptis uti. Ubi vanas & inanes suas proponant subtilitates, Donellum crepent, somnient Duarenum; &c. *ut loquitur auct. Parthen. litig. d. cap. 5. num. 32.*

Interim tamen, haut sine Logicæ ductu, & liberalioris litteraturæ cultu, in Practicorum luxuriantibus campis versandum: si non quamvis stipulam, pro vivido veritatis flore arripere malimus. Quod quidem facilè cavebit ille, qui Leges & traditiones Politico judicio discernit; & semper ex ipsismet Politicæ & Jurisprudentiæ principiis, Legum rationabile deducit. *Ioh. Gerhard. cent. quæst. polit. decad. 1. thes. 1.*

Sed hæc finio, verbis Ang. Matheacii, *in præfat. d. fideicommiss.* O studia Juris civilis, ô contrarias hominum opiniones, ô varias Iurispru-

Jurisprudentiæ vicissitudines: utinam verò, quemadmodū Cœli contrario motu cienturà primo motore; ipsi tamen in hoc semper conveniunt, ut Deo omnipotenti pareant, & mund. m hunc inferiorem concordes suo lumine, suoque motu, à supremo rerum omnium opifice sibi indito, conservant ac moderantur. Ita DDrum opiniones, ex contrariis Juris Oceani undis refluentes, Jurisprudentiæ navem ad Justitiæ littora simul appellerent.

7. Res judicata inter partes Juris scripti poni nequit: quod tamen in Topicis Cicero facit. *Tima. Faber. d. disput. 3. thes. 5. Pacius cent. 1 quæst. 19.*

Judicari namque consuevit secundum Leges, vel consuetudines; non ex judiciis Leges formari debent: nisi Imperator judicaverit. Et ideò haud procedit collatio Mynsingeri, *ad §. responsa. Inst. de jur. nat.* quâ supremarum Curiarum placita, antiquis olim prudentum responsis æquiparat. Nempè advocationis indoctæ censetur ab exemplis petere opem. Hincq; de Ludovico Romano asserit Alexander; se ipsi non fidere, quia quandò aliquod somnium probare conatur, nititur, inquit auctoritate antiquarū decisionum. Rota quandoq; rotat. Et de Cameræ præjudiciis, sæpè contrariis, passim Practici attestantur. Facti namque mutatio etiam minima, diversam sententiam deposcit. *vid. Knichen. 1. de vestit. pact. 1. num. 106. &c.*

Aliud de Stylo Curiæ dicendum videtur. *38. de legibus. Coras. ad l. 25. d. statu hom. Hackelman. illustr. 1 th. 13. Stuck. decad. 1. assert. 5. d.*

8. Ad quam speciem juris scripti, Statuta nostri temporis referre debeamus? ambigitur. *vid. Eliam Röber. disputat. ad Instit. 1. thes. 6. Barth. Musculum, de Success. anomal. membr. 1. class. 1. conclus. 1. lit. d. num. 18. &c. fol. 13.*

Statuta, vulgò ea, vocantur Leges, quæ inferior Princeps, vel Respublica subalterna, in territorio suo ut observentur, sancit. Communiter Constitutiones provinciales Land: und Statt Ordnungē/ indigitantur: quibusdam in locis Wielküer/ appellitantur; quasi Jus omnium consensu voluntateque liberâ constitutum. Saxones, etiam Weichbild / appellant: ità enim terminalem lapidē vocant; & pari denominatione, Jus in certo districtu, seu intra fines & terminos certæ Provinciæ quod viget, denotare so-

P lent. vid.

lent. vid. Treutl. disputat. 1. th. 10. & Eliam Röber. d. thes. 6. & dicam ego infrà ad l. 9. hoc tit. nostr.

Ejusmodi Ducum, Marchionum, &c. Statuta, ipsasq; actiones indè descendẽtes; Juri Prætorio magis communiter adnumerant Doctores. At potiùs est ut dicamus; actiones ex ejusmodi statutis & constitutionibus provincialibus provenientes, Juris civilis esse: & proindè intra 30. annos, absque ullâ usucapionum formidine exerceri posse. *l. 3. & l. fin. C. de præscript. 30. annor. l. 2. C. d. const. pec.* neque hereditatem iis delatam, ad instar bonorũ possessionis, intra breve temporis spatium necessariò peti. *l. 35. d. oblig. & action. §. 4. Instit. de bonor. possess.* Attamen politicis non videtur convenire fundamentis, quod dicit Röberus; in Populari Reipublicæ statu, ea Plebiscitis haud incommodè comparari: in Optimatum autem Rep. ea ad SCta magis pertinere. Etenim Laocratia, non Democratia est, ubi Plebs fert leges: nec Optimates, Senatores, seu Consiliarii, sed imperantes sunt; & eorum itaque, æquè ac populi scita, Leges vocari omninò merentur.

9. Quantùm licuerit olim Prætori, in Jure interpretando, corrigendo, supplendo: quantùm item hodiè Magistratui, aut Judici sit permissum?

Majestatem summam esse in Republicâ potestatem, eamq; consistere in supremo atque absoluto imperandi jure; ac proindè ab omnium aliorum Magistratuum inferiorum, & Reipublicæ officialium Imperio differre, ex Politicis scimus: vel certè, si in Jurisprudentiâ feliciter versari velimus, omninò scire debemus. *& docui disp. polit. 2. per discurs. class. 1.* At nihilominus Prætori Romano, qui sanè nullo modo Princeps, vel Regiâ præditus fuit potestate, Majestas quædam tribuitur peculiaris. *l. pen. hoc tit. nostr. & l. 9. de iurisd.* Id quod in caussâ fuit, ut Interpretes, ea quæ ad Reipublicæ moderandæ potestatem pertinent absolutam; cum his quæ solam Imperii, Jurisq; dicendi potestatem concernunt, perniciosο confuderint errore. *Arnisæus, 1. de Maiestat. cap. 1. ad fin. Paul. Busius, 1. subtil. 2.* Sed simplicissima mihi responsio videtur: per Metonymiam, quod Populi, vel Principis reipsà erat, Magistratibus interdùm, qui honorarii Juris functione, Majestatẽ summam ex parte referebant, appositè applicari. Hæcque vox, Prætori elegantiùs, quàm cuiquàm Magistratui tribuitur, propter

summam

summam in adjuvando corrigendo & supplendo Jure civili potestatem: *l.7.§.fin.& l.seq.hoc tit.* quam Magistratuum reliquorum, post Decemviros, habuit nemo; *Busius, 1. subtilit. cap. 3.* nec ipsi etiam Jureconsulti. *Busius,ibid.lib.3.cap.2.* Et quam Principes aliquantum temporis, Prætoribus reliquerunt (non enim in Reipublicæ conversione statim omnia mutari debent) sed tandem perpetuò sibi reservârunt; nec eam ulli functioni, quamvis honoratissimæ communicârunt. *l.1 & l. ultim. C.d.legib.* Idque prætorium Jus, non ad honorem, sed ob honorem (seu officium) Prætoris; Honorarium appellatur: ut rectè *in hâc L nostrâ. 7. §. 1.* legit Timæus Faber. *disputat.Inst.2.thes.7.*

Legem, inquam, corrigere potuit Prætor, hoc est, non simpliciter interpretari; verùm contrà etiam quàm Jure cautum fuit, edicere, & rescindere quæ vi juris rata erant: quæ propriatim magis ipsius Reipublicæ Majestati, quàm ullius Magistratus muneri cohærent. Sicque more majorum, portiuncula quædam Majestatis, apud eum quasi deposita fuit: *Busius, d. cap. 3.* quâ quoque ratione, *in hâc l.nostr.8.* notatur; Prætorem, vivam esse vocem Juris civilis: eò quòd summa ipsi mitigandi juris facultas esset. Legem tamen facere, vel tollere nequibat Prætor. *Ramald. Corsius, 2.indagat.cap.4.Matth.Stephan.disput.Instit.cent.1.thes.20.lit. b.* Edictum, pars est Juris, non Legis; nec Legis vel Constitutionis vi pollet. *§.Prætorum.Instit.d. Iure nat.&c.§ quos autem.d. bonor. possess. §.hæc exempla.d.exception.* Et eâ quoque in parte, à Lege (quæ durante Democratiâ, Populi auctoritate) & à Constitutione (quam superveniente Principatu, solus Princeps sanciebat) Jus honorarium differebat; quòd Edicta Prætorum, annua ab initio, non perpetua erant: donec ab Adriano inductum esset, ut (veteteris sine dubio Prætorum auctoritatis minuendæ caussâ, sub specie tamen publicæ commoditatis) unicum componeretur Edictum, ex quo Prætores omnes, in posterum jus dicerent; quodque idcircò perpetuum adpellatum fuit. Cumque item Lex sola, & qui ejus ferendæ absolutâ potestate gaudent; hominem & bona ejus habeant in potestate: itâ ut Lex, domina sit membrorum, & dominium attribuat, per legitimos modos acquirendū, bonis etiam è contrario interdicat. *Cujac.in notis prior.ad Instit.d.§. Prætorum.VVesenbec. ad §. quas autem. Instit. d. bonor. possess.* Indè in Re-

 publicâ

publicâ liberâ quoque, Prætorum juris faciendi potestatem, à Legis ferendæ Majestaticâ auctoritate, in tantùm discretàhabere voluerunt; ut heredem, aut Dominum facere posse Prætorem, non permiserint: *§.2. Instit. d. bonor. possess. Fachina. 5. controv. cap. 72.* sed solummodò Bonorum possessorem.

Hodiè (ut & tempore Justiniani) talis potestas nullis Magistratibus est. Quid verò Judex hâc in re possit, eleganter explicata Busius, jam sæpè laudatus. *1. subtil. cap. 3.*

Lex 9. Tit. 1. Lib. 1. ff.

1. Omnem Populum, partim suo proprio, partim communi omnium hominum jure uti: & quod quisque Populus ipse sibi jus constituit, id ipsius proprium Civitatis esse, *in hâc leg. nostr.* respondet Jureconsultus. Id autem quomodò concentum servat cum eo, quod *in l. ultim. C. d. Legib.* tam conditorem, quàm interpretem Legum, solum Imperatorem justè existimari, rescriptum invenimus? *vid. Jul. Pacium, 1. ἐναντιοφ. quæst. 3. Dn. Harpprecht. §. 6. num 9. Inst. d. jure nat. &c.*

Nullam omninò his textibus pugnantiam subesse, facilè is animadvertere potest, cui Politices haut ignota sunt fundamenta. Populus hic pro Republicâ accipitur, quæ nemini nisi Deo paret; nec ullum aliud extra territorium quod sit, Imperium agnoscit: *argum l. 7. §. 1. d. captiv. & postlimin. ac notat ex Cicerone Divus Augustin 19. d. Civitat. Dei, cap. 21. Timpler. polit. 1. cap. 4. quæst. 2.* qualis erat olim Populus Romanus, Parthicus; & nunc Germanus, Francicus, Anglicanus, Hispanus &c. Cujusmodi Populum Jus sibi proprium statuere posse, dubitatione omni caret: & id innuit hic JCtus. Alia nunc, & quæstio est omninò diversa: Quomodò post Reipublicæ formam mutatam in Principatum, Populus Romanus sibi tulerit Leges? quam Justinianus *in adductâ lege ultim. C. d. Legib.* & passim alibi dissolvit. Nempè per Principem suum, in quem potestatem transtulit omnem: *l. 1. infra d. constit. Princip.* Ergò Populum Romanum sibi jus constituere, ità est intelligendum; ut excludatur Populus Parthicus, Gothicus, Francicus: non ut Majestas in Republicâ Romanâ Principi semel concessa, Populo vel plebi restituatur, communiceturve.

2. Jus Romanum ab iis gentibus, quæ Romano-Germanico imperio haud parent, non pro lege, sed pro Doctore tantùm, non immeritò habetur. *vid. quæ dixi tractat. de Appellat. cap. 2. sect. 7. fol. 38. & adde Ant. Pinel. ad rubr. C. de bon. matern. part. 1. num. 2. Vinc. Cabotium, lib. 2. disput. cap. 1. Mercer. 1. opin. cap. 2. Tillet au recueil des Rois de Fr. tit. des Anciens Loix. ad fin. fol. 10. Matth. Steph. 3. d. jurisd. part. 1. cap. 3. num. 25. &c.*

Olim quidem, cùm præstantior orbis habitabilis pars, Romanum Imperium observaret, omnes eæ nationes Jure Romano fuerunt usæ; exceptis iis, quibus concessione singulari Leges suas usurpare permissum fuit. Postquàm verò Germanicæ nationes (quas solas & semper Romani metuebant. *v. Estien. Pasquier, 1. des recherch. cap. 15.*) quasi Divinâ sortitione, inter se Romanum Imperium diviserunt; alias eæ superinduxerunt leges, diuque latuerunt, nec ullo ferè in pretio fuerunt Romanæ sanctiones: in eorumque locum successerunt Leges VVisigothorum, Salicæ, Ripuariæ, Longobardicæ, Burgundionum, Alemannorum, Saxonum, &c. quas Goldastus (cui Juris & antiquitatum Theutonicarum hodiè notitiam uni ferè debemus) & etiam Fr. Lindenbrogius, junctim ediderunt. Pòst cùm Lotharius Imperator, Irnerii ministerio (non adeò fausto omine, si Lipsio credimus. *cent. miscell. epist. 78.*) reduceret jus Romanum, non illud ab exteris pro Lege agnitum fuit. Hincque vulgò dicunt, Regem superiorem non recognoscentem, ad lubitum instituere posse Legem; eiusque constitutionem, in suo Regno Jus civile vocari. *Sebast. Medices, tract. d. Legib. & statut. part. 1. quæst. 19.* Quin & Germania ipsa, vetera omninò haud abjecit jura: Jurique Romano, adhùc hodiè, vel legibus universalibus totius Imperii consensu promulgatis, vel etiam particularibus, quæ Statuta vocant, quotidiè aliquid decerpi videmus. *vid. Christoph. Lehman, in der Speirischen Chronickh. 1. cap. 59. Heigium, quæst. 7. & 8. part. 1. Rittershus. ad Novell. in proem. cap. 7.*

3. Quia nihil inæqualius est circumstantiâ locorum, non potest Jus Romanum, etiam in orbe Romano æqualiter observari ubiquè: ideirco (ut modò innui) Statuta scribuntur. *pulchrè Cardinal. Mantica, d. conject. ultim. volunt. lib. 6. tit. 7. à princ.*

Quis nam verò ea condere; hoc eſt, qui nam alterius Majeſtatem ſeu ſuperioritatem obſervans, ſubditis ſuis Leges particulares, à ſuperioris ſanctionibus diverſas date & præſcribere queat? Quæſtionis eſt maxumè elegantis: de quâ pluribus & eruditè diſputat. Nicol. Betſius, *tract. d. pactis famil. cap. 1. & 2.*

Principes, Comites, & Status Imperii regulariter omnes, ſicut & Nobiles immediatè Imperio ſubjectos, pro modo & ratione juriſdictionis ipſis cōpetente, ſtatuta promulgare poſſunt: adeò, ut ea etiam ſine Imperatoris valeant confirmatione (licet majoris cautionis ergò, nonnunquàm confirmatio ſoleat impetrari) *Betſius d. cap. 2. fol. 39.* & item ea, nec ipſe Imperator revocare queat. *Betſius, fol. 34.* Competit enim ſtatibus Imperii Juriſdictio radicalis, non uſufructuario ſaltem jure: quod Andr. Knichen. *cap. 1. de jur. territ.* plenè docet. Sufficit itaque, hæc ſi ſtatuta, Jus publicum Imperii non lædant.

Sed quid judicandum erit de illis, qui non ab ipſo Imperatore; ſed mediatè, ab alio nempè Principe vel Statu Imperii, acceperunt juriſdictionem? Horum ſanè ſtatuta, ſuperioris ſi deficiat licentia, minimè vim legis obtinere, magis eſt ut dicamus, uti poſt Br. & alios *hic* determinant Kling. *ad tit. Iuſtit. d. Iuſt. & Iur. num. 20.* Schneidvv. *ad §. conſtat. Inſt. d. jur. nat.* Coler. *de proceſſ. execut. cap. 3. part. 1. num. 12.* Bronchorſt. *1. ἐναντιοφ. aſſert. 6.* Hackelman. *1. illuſtr. theſ. 7. lit. a.* Cramer. *diſputat. ad Inſtit. 1. theſ. 16.* (1) Utpotè cùm habeant tantùm exercitium Iuriſdictionis, non proprietatem: & iis non radicalis, ſed aſcititia quædam Iuriſdictio; non proprietario, ſed potiùs quaſi uſufructuario data ſit jure. (2) Cumque Statuta & conſuetudines habeant vim Legum, iisq; definitio Legis, *poſita in l. 2. d. Legib.* competere videatur: ſequitur, eum qui legem ferre nequit, à Statutis quoque condendis arceri. Non itaque ſic concludere licet; Civitas habet Iuriſdictionem & Imperium. Ergò etiā ſancire poteſt Leges, quæ ad illam Iuriſdictionem exercendam neceſſariæ videntur. Poteſtas namque ferendi Leges, etiam locales; Regalibus accenſetur: *Roſenthal. cap. 5. concluſ. 4. num. 9. & v. quæ docui diſput. polit. 3. theſ. 6. in fin.* quæ ſpecialem requirunt conceſſionem. (3) Probat hoc etiam Lex ultim. C. *de teſtament.* in quâ Ruſticorum conſuetudines, circa

Teſtamen-

Testamentorum sollemnitates, à Legibus non confirmatæ reiiciuntur: & Lex 3. §. *Divus ff. d sepulchr. viol.* ex quâ apparet; si Iuri communi, aut Principis edictis, Statuta Civitatum repugnent, ea sine confirmatione, non valere.

Et licet Interpretes, nominis haut vulgaris, Statuta à civibus constituta sine Principis permissu, valere affirment; præsertim Bolognetus *hîc.* & post eum Elias Röber *disputat. ad Instit. 1. thes. 7. & seqq.* ex parte etiam Treutlerus *disput. 1 thes. 10. lit. b.* adeoque facultatem condendi Statuta, etiam eò usque extendant; ut singulis quoque familiis sancire permissum esse putent, ne fœminæ succedant, &c. Erroneam tamen hancce opinionem, & tam Politicis, quàm Iuris nostri fundamentis contrariam esse, nullus dubito pronunciare. Ut & eandem usus communis proscribit. Sicque non oppidis, quæ municipalia vocitamus, ut nec Nobilibus Lansassii dictis, permissam comperimus hance potestatem.

Non refragantur, *l. 26. §. 1. vers. nec liceat. C. de usur. auth. navigia. C. d furt. auth. peregrini. C. commun. de success. auth. cassa. C. d. S. S. Eccles. l. 19. C. de decurion. &c.* Ubi certæ quædam locorum consuetudines & Statuta reprobantur; eoque innui videtur, illas tantùm Municipiorum leges, quæ sanctio superioris disertè vel tollit, vel fieri prohibet, invalidas esse. Ac hoc enim respondemus, (1) argumentũ à contrario sensu, hâc in parte non validũ esse: *arg. traditor. ab Everh. loc. à contrar. sensu.* quia tendit ad tollendum jus illud, quod soli ei qui summum Imperium habet, legum sanciendarum tribuit potestatem. (2) Sciendum, Municipalia Jura, in Jurisprudentiâ Iustinianeâ ea intelligi, quæ apud quasdam gentes, antequàm Romanum Imperium sunt passæ, obtinuerunt; eaque sibi cùm in deditionem venirent, salva ut manerent reservârunt: *Fornerius, 1 selection. cap. 13.* non quæ Municipia posteà sibi constituerunt. Ut quoque de eâ municipali lege, subaudienda est Lex *Antiochensium. ff. de privileg. credit. seu ut in editione Gothofredi, de rebus auctoritat. Iudic. possidend.* Et tandem *cap. 1. de Constit. in 6.* (quod itidem sententiæ nostræ obiiciunt nonnulli) de Statutis jure validis sul audiri debet.

At verò quòd dixi, Municipali Civitati ademptum esse jus sanciendi Statuta, minimè extendo ad eas Civitates, quæ sunt in possessio-

possessione condendi Statuta, etiam Principe suo inconsulto. *Vasquius, illustr. 1. quæst. 47.* Quales sunt, quas mixtæ nominant conditionis: de quibus videri potest, Matth. Stephan. *2. de Iurisdict. part. 2. cap. 1. num. 17. &c.* Requiritur namque ad plenariam subjectionem, ut superior omnes actus Iurisdictionis (si non ordinario jure, saltem ex potestate absolutâ) exercere possit: utque Privilegia, si quæ subjectus habet, non Imperatori, sed suo immediato Principi soli ferat accepta.

Ut nec illud negarem, Populum seu Universitatem etiam Iurisdictione carentem; posse circa ea facere Statuta, de quibus disponendi & administrandi liberam habet potestatem. *vid. Rosenthal. d. cap. 5. conclus. 9. ad fin. & Nicol. Losaeum, tract. de Iure Universitat. part. 3. cap. 15. num. 3.* Pariter ut exigere potest collectam, ad usus & necessitatem earum rerum, quæ ipsius Iurisdictioni & curæ sunt commissæ: putà viarum, pontium, murorũ & c. refectionem. *Consil. Marpurg. 1. volum. 1. Busius, disputat. polit. 11. thes. 11. & seqq. Thom. Maulius, tract. de Homag. cap. 9. num. 4. &c. & dixi disputat. polit. 12. thes. 45. class. 1.*

An vero Familia possit condere Leges, præsertim circa successiones? vid. Nicol. Betsium, latè docteque disserentem, &c. *cap 4. tract. d. pact. famil.*

4. Ordinationes & Statuta Collegiorum, propriè Statuta, aut Jus municipale dici non merentur: sed tanquàm aliquorum, vel majoris partis placita, sicut aliæ quælibet conventiones, observantur. *argum. l. 4. & l. ultim. ff. d. Colleg. vid. Matth. Stephan. tract. d. Jurisdict. lib. 2. part. 2. cap. 8. num. 15. &c.*

5. An Testamentum juxta Satutum loci alicuius conditum, etiam eorum bonorum ratione, extra territorium quę sunt, subsistat? non sine caussâ in quæstione versatur.

Ad Testamentorum perfectionem, in jure nostro quæ requiruntur sollemnitates, *l. hâc consultissima. Cod. de testament.* cùm subtiles ac operosæ nimis existant; multorum ideò locorum Statutis, magè facilis testamentorum condendorum approbata est ratio: ut nempè coram quinque, vel minore testium numero, ultimæ voluntatis ordinatio consistat. Quemadmodùm Lex provincialis VVürtembergica, evincit. Fürstl. Würtemb. Landtrecht.

recht. *part. 3. àpꝛinc.* Ipsum etiam Ius Pontificium, duos testes unà cum Presbytero sufficientes putat. *cap. 10. extr. d. testam.* Quæ sanctio non nisi in terris Ecclesiæ, seu iis valere putatur in locis, ubi seculare quoque imperium Pontifex habet. Quæritur nunc ergò, si Titius in territorio Romano testamentum ex formulâ Canonici juris condat; an illud pariter, eorum etiam bonorum ratione obtineat vigorem, eo in loco quæ sita reperiuntur, ubi in testamenti factione juris communis exiguntur sollemnitates. Verior nobis Fachinæi, *5. controvers. 91.* opinatio videtur, quæ negat. Et quidem præter argumenta adducta à Fachinæo, urget (1.) maxumè Lex *fin. ff. de Iurisdict.* quæ evincit; Statuta extra territorium minimè suas porrigere vires: & quippè cùm jurisdictio esset, nec certè statuendi vel Legis ferendæ jus poterit superesse. Porrò (2) cùm testamentorum sollemnitates, ad omnem falsitatis suspicionem removendam adhibeantur: *l. jubemus. 29. C. de Testament. l. quæstionem. C. de fideicommiss.* iniquum certè est, cogere magistratum ubi bona sita sunt, duobus v. g. extraneis, sibique incognitis fidem habere testibus, & secundum eorum assertionem, bona suæ Jurisdictioni subjecta ut dividantur permittere: cùm hâc in parte non crederet propriis civibus. Nempè licet tres cives Tubingenses testamento adhibeantur, id tamen testamentum non aliquod habere censetur robur. Si ergò civis Tubingensis, Venetiis coram duobus Italis, vigore legum Venetarum testaretur; an non incivile est dicere, Magistratum Tubingensem credere debere eo in casu duobus Italis, quo casu non crederet Tubingensibus tribus. (3) Sic & in contractibus non rarentur inspicimus Statutum domicilii vel rei sitæ; v. g. circa hypothecę constitutionem, mulieris vel pupillorũ obligationem &c.

Contrarium communiter receptũ esse ait Soarez. *lit. T. n. 72.* Covarruv. *de sponsal. part. 2. cap. 7. numer. 8.* Petrus Ravennas, *tractat. de consuetud. section. 4. numer. 75. &c.* Gail. *2. observat. 123.* Græyæ. *2. conclus. 123. & consider. 1.* Köpen, *decis. 45. numer. 3.* Matth. Stephan. *1. de jurisdict. cap. 33. num. 54. &c.* Röber. *1. disputat. thes. ultim.* Hardevvig. à Dassel. *consult. 35. & sequent.* Bachovius, *ad disputat. Treutler. 1. thes. ultim. lit. e. fol. 39.* Eò, quòd nemo testatus simul & intestatus decedere queat. Sed non est contra æquitatem naturalem hoc fieri, nam & militibus id concessum.

sum. §. *hæred. Inst. de hæred. inst. Illustr. Enenckel. d. privil. Milit. 16. n. 51. &c.* Vincat ergò & hìc publica ratio, quâ cujusque Jurisdictio imperturbata manet, privati juris rationem. Et evenit sæpè, ut testator omnia sua bona in eo territorio habeat sita, ubi ad testamentum faciendum cura requiritur major: & ita regula prædicta, simulque opinio nostra locum tueri queat.

Aliter Jacob. Curtius, dissentit. *tom. 1. conject. lib. 1. cap. 2.* Bartolus verò, *in l. 1. C. de summâ Trinit.* inter Statutum in rem vel personam conceptum, distinctionem proponit: quam tamen reiicit Lex *pupillo. 27. in princ. ff. d. Tutor. & Curat. datis ab his, &c.* Ubi respondetur, non Prætorem rebus provincialibus, sed Præsidem tutorem dare posse; si pupillus tam Romæ, quàm in provinciâ habeat bona. Nil ergò refert, in personam vel rem, statutum esse scriptum: cùm & tutores principaliter dentur personæ, & per consequentiam saltem rebus; nec tamen cui pupillus est subjectus, de rebus pupilli, aliâ sub Jurisdictione quæ existunt, disponere queat. Ipsa namque persona sequitur Jurisdictionem ratione bonorum: non res sequuntur personam; sed magis persona rei arctatur Jurisdictione.

6. Vidua quædam nobilis, succedere volebat marito secundum statutum loci in quo agebant; non obstante quòd neque ipsa, neque maritus ejus, unquàm recognoscere voluerint statuentium Jurisdictionem: contra quam rectè Facultas Juridica Lipsiensis pronunciavit, apud Andr. Scheffer. *quæst. pract. part. 1. quæst. 39.*

Noluerunt hi conjuges subjecti esse incommoditatibus Statuti. Ergò nec ejus prærogativâ frui queunt. Statuta vim habent à Jurisdictione: non ideò pertinent ad eos, qui noluerunt Iurisdictioni subesse.

7. Adhûc minùs, Statutū quod de successione intestati aliud disponit, quàm Juris communis sanctio, aut Lex localis in quo bona sita sunt admittit; extra territorii limites vim suam exercere potest. *Jacob. Curtius, conject. tom. 1. lib. 1. cap. 4. Petr. VVesenbec. cons. 1. Dn. Botcr. class. 1. disput. 3. thes. 44. Grava. 2. conclus. 124. Jacob. Schultes, quæst. pract. 38.*

Aliud de mobilibus bonis dicendum est omninò: *Iacob. Schul-*

tes,

tes, quæst. pract. 24. 39. & 40. & itaque si cui domicilium sit Tubingæ, merces verò vel quæ alia mobilia bona is habeat Ulmæ; non aliter quàm ex Tubingensi Statuto ejus hereditas erit dijudicanda. Sic & si quis in diversis locis annuos reditus habeat constitutos; id adhuc minùs juris aliquam diversitatem hâc in parte poterit importare: illorum namq; nomine nemo dici potest subjectus.

8. Quin ad superiorem adpelletur, nec Statuto induci posse videtur: adeoque etiam stante tali Statuto, nihilominus provocatio recipi solet. Quâ de quæstione Baldus olim disputavit, Bartolo præsente, hancque nostram sententiam egregiè defendit; ut refert Fichardus in vitâ Baldi. *adde l. 1. §. 4. à quib. appell. non lic. Ioh. Melch. Cletzelium ab Altenach. in eruditiss. suo tract. d. appellat. cap. 1. Aruma. disputat. ad Leg. præcip. ultim. thes. 1. & dixi ego, tr. d. Appellat. cap. 2 sect. 15 fol. 55.*

Johan. Bolognetus, *ad h. l. nostr. num. 105. & seqq.* operosè nititur probare, Statuto fieri posse, ne ad superiorem adpelletur: arguit ille ex pacto privatorum, quo induci potest, ut victus nequeat provocare. *L. 1. §. 3. à quibus appell. non lic. l. fin. §. fin. C. de temp. & reparat. appell.* Sed respondetur: appellationem partim in litigantium favorem, partim etiam in recognitionem superioritatis introductam esse. *Knichen, d. Iure territor. cap. 3. num. 27. Quetta, consil. 71. num. 2. Mascard. volum. 2. concl 947. num. 13. & seq. Decian. respons. 458. num. 34.* Ea verò quæ principi sunt reservata, non sunt de potestate Populi statuentis; & i[llegible]cò ab eo attingi non debent. Pacto unius atque alterius, quo renunciant appellationi, Jus publicum haut lædi, constat id tamen fieret omninò, si omnes tale pactum inire vellent. Aliud item est renunciatio appellatonis in certâ lite (quo de casu loquitur. *d. l. 1. §. 3. à quib. appell. non lic. cum similibus*) aliud est pactum de nunquàm appellando; etiam ratione futurarum cõtroversiarum, de quibus non cogitârunt paciscentes. Sic etiam litigantes arbitrum eligere queunt, certæ cujusdam caussæ ratione: non verò omnibus civibus cõcederetur, ordinarii Iudicis in omnibus caussis evitare cognitionem.

Utile tamen & necessarium est, appellandi restringi temeritatem: sicq; etiam inferiori est concessum, certam dare legem adpellationi ad superiorem interponendæ. *Cletzel. d. loc.*

Lex 10. Libr. 1. ff. Tit. 1.

1. Justitia rectè definitur, constans & perpetua voluntas, jus suum cuique tribuendi

Plato, *2. de Rep.* Simonidem laudat, primum huius definitionis auctorem; ex quo eam *hic* Ulpian. & *in princ. inst. eod.* sumpsit Justinianus. Stoicorum hâc in parte eos esse æmulos, ait Turneb. animadvers. *8. cap. 20.*

2. Et intelligenda est hęc definitio de Justitiâ humanâ: cum Dn. D. Harpprecht *in princ. num. 35. de Iust. & Iur.* Treutl. *1. th. 1. c.* Hillig. ad Donel. *2. Com. 1. lit. c.* Forstero *disput. inst.* 1. *thes.* 18. Arumæo *exerc. 1. thes. 9.* Hœnnon. *disput. inst.* 1. *thes. 5.* Cramero *thes. 3.* Timæo Fabro, *disput.* 1. *thes. 3.* Paul. Berens, 1. *thes.* 1. Contra Hotoman. & Vult. *nu. 6. ad pr. inst. hoc tit.* qui subaudiunt illam de Divinâ.

Justitiam enim inter virtutes hominum recenset, *in Novell. 30. & 69.* Justinianus. Suadet & idem, propositum Justiniani. Justitiæ quippè vox in materiâ & disputatione politicâ, legaliter etiam accipi debet. *v. Wesemb. in Parat. h. n. 5. vers. tertius ordo.*

3. Particulari non universali justitiæ, hæc definitio competit. Treutl. 1. *thes. 1. c.* Cramer. *thes. 3.* Forst. *thes.* 21. Arumæ. 1. *exerc. thes.* 10. Timæus Faber. *1. thes.* 4. D. ff. Hilliger. *ad* 2. *com. Donel.* 1. *g.* & Volc. Scribon. *introd. ad jurispr. n 24. fol. 151. & c.* qui Justitiam universalem Jurisprudentiæ finem statuunt; quod & facit Andr. Gerhard. *disp. Inst. 1. thes. 4.*

Justitia particularis non legum præcipuè auctoritate, ut universalis, sed ipsâ magis æqualitate promovetur; nec tam τὸ νόμιμον, quàm τὸ ἴσον δίκαιον spectat: circa eamque JCtus magis, quàm Politicus est occupatus; & hinc Jus definitur ars æqui. *vid. Wesemb. in Parat. h. n. 10. Conti. lect. subseciv. 2. c. 7.* Suo functus est munere JCtus, si demonstraverit, quomodò personæ sint ordinandæ, & contractus moderandi; seu si caveat, ne vel pecuniarum cupiditate, vel honorum ambitione cuiquàm noceatur, &c. ut ex Platone, *8. d. Republ.* Corasius refert, *d. arte Iur. part. 1. cap. 23.* De universali verò Justitiâ, quæ omnium virtutum complexio definitur, Philosophi munus est tractare; *v. Erasm. Ungepaur. exercit. 1. th. 8.*

tit. 1. th. 8. & eam Politicus, quantùm fieri poteſt, in Rempubl. ſuam introducere, multiſque communem reddere nititur. Theologus adhuc magis accuratè eam perpendit: cui Juſtitia univerſalis, habetur pro ordine hominis erga Deum, obedientiâque debitâ Deo; congruens ad normam Spiritus habitantis in mentibus noſtris. *vide Weſemb. in Parat. ff. h. t. n. 4.*

Sed annè Juſtitia univerſalis, pro ſpecie virtutis ſit agnoſcenda? dubitari ſolet. Quia ſi eſſet ſpecies, non foret univerſalis. Directrix ergò virtus eſt omnium virtutum; & nec ſpecies neque genus virtutum cæterarum. Omnem ſcrupulum eximit erudítiſſimus Keckermannus, *Syſtem. Ethic. 1. cap. 4. & vide Dn. D. Harpprecht. in pr. n. 13. d. Juſt. & jur. Ioh. Stuck. dec. 1. aſſert. 2. lit. g. ad fin. fol. 87. Albert. Bolognet. diſput. d. lege, Iure, &c. cap. 8. num. 10.*

4. Nunc membra ſingula hujus examinabimus definitionis: quod & facit Dn. Chriſtianus Matthias, *Colleg. Ethic. 3. Diſp. 4. diſcept. 1.* Voluntas per Metonymian ſubjecti, pro adjuncto; hoc eſt, pro habitu ſumitur voluntatis. *Donellus, 2. com, 1. Trentler. diſput. 1. theſ. 1. b. vol. 1. Oleman. in antinom. Giphan. proëm. them. 3. ad fin.*

Conſtans & perpetua voluntas, eodem dicitur ſenſu, quo Libertatem Agellius, *7. noct. Attic. cap. 5.* conſtantiam definit perpetuæ benignitatis. Intelligendus namque hic eſt voluntatis habitus προαιρετικός; quatenus videlicet Juſtitia cupiat conſtanter & perpetuò, unicuique tribuere ſuum. *Stuck. part. 1. decad. 1. aſſert. 2. lit. f.*

5. Non tamen in concreto, ſed in abſtracto Juſtitia definitur. *Coraſ. & Anton. Faber, in Ratinal. hic. Dn. Harpprecht. in pr. num. 32. Inſt. d. Juſt. & Jure.* Contra Heigium, *ad princ. nu. 19. Inſtit hoc tit.* Hœnnon *diſput. Inſt. 1, theſ. 5.* Forſter. *exercit. Juſtin. diſput. 1. theſ. 19.* Cramerum *diſput. Inſt. 1. theſ. 4.* Bachovium, *ad Trentler. diſput. 1. fol. 4.* Val. Arithmeum, *perit. 1. diſput. 1. theſ. 3.* Stuck. *1. aſſert. 2. lit. f. ad fin.*

Cùm quippè Juſtitia definitur, non conſideratur ut in homine eſt; ſed ratione eſſentiæ & naturæ, quam definitio explicare debet. *Pacius. 1. ἐναντιοφ. quæſt. 4. Bronchorſt. 1. ἐναντιοφ. 2.* Quo eodem ſenſu, Oeleman. *in proëm. Antinom. Giphan. them. 3. & diſput. 2. theſ. 3.*

thes. 3. Justitiam dupliciter considerat; absolutè & relativè. Justitia quidem (ut jam dixi) habitus existit, qui necesse est ut insit subjecto: sed (propter lapsum & originale peccatum) nec morales perfectas habemus virtutes; quamvis externorum ratione, aliquo modo liberum arbitrium habere dicamur. Et ideò Philosophi considerant habitus, non quos habemus; sed ut habere deberemus. *vid. Goclen quæst. Ethic. 81. Tima. Fabrum, disp. Inst. 1. thes. 2.* Justitia aliæque virtutes, quemadmodùm debeant esse, ex rectâ scimus ratione; sed non secundum eam agimus semper. Undè Divus Paul. ait, *1. Rom.* gentes Deum scivisse, sed non ut Deum glorificâsse: pariterque ad id allùdit apud Ovidium Medæa, cùm dicit;

—— video meliora, proboq́;,
Deteriora sequor. ——

Justitia ergò hìc est definita, in specie perfecta; non ut homini peculiariter inhæret, sed ut justitiam profitenti inesse debet. *ex Coras. Hilliger. ad Donel. 2. com. 1. lit. c.*

6. Non hic legendum pro Tribuendi, Tribuens. *Treutler. 1. thes. 1. lit. c. ad fin. Hillig. ad Donel. 2. com. 1. d.*

Habitus enim non agit: verbum autem tribuens, psium denotat actum. Nec semper qui Justitiam colit, ipso actu tribuit; sed potentiâ, quoties occasio datur.

7. Ex hoc autem, quòd Justitia constans & perpetua nominatur voluntas: meritò casus quos DD. nostri vocant pro Amico (in quibus scilicet gratificari possit Judex cui parti velit) proscribit Treutlerus *thes. 1. lit. b.* (ibid. Bachovio dissentiente) & cum eo Arithmæus, *peric. 1. disp. 1. thes. 4.*

Nam licet ubi casus non est jure decisus, lex illum relinquat in arbitrio judicantis: haut tamen arbitrium ita liberū cēsetur, ut exindè possit Judex nimis favorabilis esse uni parti. *Nevizan. Sylv. nupt. libr. 5. n. 88. &c.* Est enim Judicis sapientis, dicente Cicerone *pro Cluent.* cogitare tantùm sibi à populo esse permissum, quantùm commissum; & non solùm sibi potestatem datam, verùm & fidem habitam esse: meminisse, posse quem oderit absolvere, quem non oderit condemnare, & semper non quod ipse velit, sed quid Lex & religio cogat, cogitare. Induenti ideò personam Judicis, exuenda est persona amici.

Nec

Nec est quòd quis ita argumentetur: Jus est incertum. Ergò, dantur casus pro amico. Constans enim debet esse Iurisperitus, in dando seu tribuendo quod putat justum; & in non dando, ubi res dubia admodùm existit: nec in amici gratiam Ius variare. Et aliæ plures sunt rationes, quæ judicem in caussis intricatis informent (*de quibus latè & per discursum tractat Nevizanus, libr. 5. & 6. Sylvæ nupt.*) quàm affectus amoris, quo ducitur erga alterutram litigantem.

8. Cumque justitiæ officium sit, ut suum cuique tribuat: indè nec latroni aut piratæ suum est denegandum. *l. 31. ff. depositi. l. si pignora. §. si prædo. ff. d. pignor. act. §. injuria. inst. ad L. Aquil. Hotom. illust. quæst. 7. Rauchbar. 2. q. 4. num. 67.* Diss. *Bodin. 1. de Republ. 1.*

Cum omnibus hominibus, qui quæ sunt gentium juris non infringunt; ejusdem Iuris nobiscum communio est. Sicque durum admodùm videtur, quòd Hæreticis, Iuris illius compluria beneficia denegantur. Sic Iudæi rectè in Iudiciis vincunt Christianos, si bonam foveant caussam. Sic & Infidelibus, qui non sunt hostes, jus & justitia denegari haut debent.

9. Tribuitur Jus cuique suum, vel distributione vel commutatione. Undè Justitia alia dicitur distributiva, præmia & pœnas distribuens Geometricâ; alia commutativa, commercia & contractus hominum regens, secundum Arithmeticam proportionem. *eleg. VVesemb. in Paratitl. hic, n. 11. Cramerus, thes. 5. disputat. 1.*

An tertia aliqua sit Iustitiæ species, ex proportione Geometricâ & Arithmeticâ constans, disputat Bodinus, *6. d. Rep.* Quod non facilè concedendum esse, Ioh. Stuckius scribit. *dec. 2. assert. 2. lit. g. fol. 87.* Esse aliquam Musicam proportionem, negari quidem nequit: sed an ea in Republicâ (ubi tam variæ, dissonantesque sunt partes) locum tueri queat? disputari solet. Mihi forsan hàc de re, alibi erit disputandi occasio & tempus. *vide Frider. Tileman. disput. ff. 1. thes. 40. vol. 1. Canonhiero in polit. lib. 9. cap. 11. Henr. Gebhardi, de princip. Iur. conclus. 13. fol. 147. & dixi nonnulla disput. polit. 2. thes. 9. ac 20. class. 2.*

10. Post

10. Post Justitiæ definitionem, Juris quòd traduntur præcepta, Stoicorum itidem id fit exemplo. Ea verò præcepta sunt; honestè vivere, alterum non lædere, jus suum cuique tribuere.

Stoica enim est Methodus, partem Philosophiæ moralem facere παραινετικήν; quam Seneca interpretatur præceptivam. *Turneb. 8. cap. 20.*

11. Tria hæc Juris præcepta (quorum variantes interpretationes videre licet apud Hilligerum, *ad Donell. 2. com. cap.* 1. *lit. f.* Jac. Cramerum, *disput. Inst.* 1. *thes.* 8. Timæ. Fabrum. *disput.* 1. *thes.* 7. Bachovium, *ad Treutl.* 1. *fol.* 11.) non triplex JCti officium continent. *Guil. Valent. Forster. disputat. inst.* 1. *thes.* 25. *Hilliger. ad 2. comm. Don.* 1. *sub lit. F.* contra *Hotoman.*

Quia quivis alius, etiam non ICtus, ea observare debet: unde & Iuris ignorantia cuique regulariter nocet. *l. 9. in pr. d. jur. & facti ignorant.* Non peccaverit, si quis ea Iuris præcepta indigitaverit principia (notiones videlicet communes, omnibus insitæ) ex quibus cætera artis præcepta sunt deducta, & quò rursùm referri possunt ac debent.

Itidem ea respiciunt agentem: eumque vel ipsum (ut, 1.) vel cum aliis; & hoc vel in omittendo (ut, 2) vel in committendo (ut, 3.) *ex Accursio Treutlerus, disp. ff. 1. thes. 3. 4.*

12. Quoque non sunt plura Juris præcepta his tribus. Quia facilè ad ea referri alia queunt: & illa de omni Juris objecto loquuntur. Contra Coras. 1. *d. arte Jur. cap.* 24. *&* 26.

13. Nec etiam sunt pauciora. Primum non continet reliqua duo. *Forster. tract. Justin. disput.* 1. *thes.* 27.

Honestas quidem & alias virtutes comprehendit; non tamen principaliter, sed quatenus ad Iustitiam diriguntur: *pulchrè Donellus, 2. comment. 1.*

14. Adhuc minùs, tertium continet duo priora. *Donell. 2. comment. c. 1. ad fin. Dn. Collega Harpprecht. ad §. 3. nu. 15. Inst. hoc tit. Val. Guil. Forster. tract. Justin. disput. 1. thes. 28. vid. etiam Oelmannum in Antinom. Giphan. in proëm. them. 4. fol. 9. & disput. 1. thes. 3. ad fin. Ungepaur. exerc. 1. thes. 9.*

Tertium præceptum, præcipuè spectat ad Rerumpublicarum guber-

gubernatores & alterum exigit, ut injustitiam fugiamus, non ut Justitiæ habitum acquiramus. *Mattheat. 1. d. viâ Iur. cap. 15. n. 3.*

Secundum respicit Justitiam commutativam; tertium distributivam. *Ioh. Stuck. in introd. general. part. 1. thes. 3.* Etenim qui solvit quod debet, non hoc facit ex Justitiâ distributivâ; sed id exigente naturâ contractus: sicque secundum Justitiam commutativam.

Ex hactenus quoque disputatis elucescit; An & quatenus Justitia, omnia Juris præcepta comprehendat? Etenim suas tantummodò actiones, secundum illa præcepta ordinat & examinat: cùm (ut jam est dictum) Juris principia, non Justitiæ partes ea existant. *vid. Tima. Fabrum, disputat. ad Instit. 1. thes. 10. & Oeleman. in proœm. Antinomiar. Giphanii. them. 4. fol. 9. ac etiam disputat. 1. thes. 3. ad finem.*

15. Nihil aliud quàm honestum præcipit Jus civile. *Johan. Robertus, 3. sentent. 12.*

Licet enim Lex civilis, non semper iis, quæ cum honestate aliquâ ex parte confligere videntur, præstituat pœnam: non tamen præcipit ut fiant; sed conniventibus quasi oculis dissimulat se ea videre, cupiens longè majoribus periculis obviam ire.

Obstare videtur cùm primis illud; quòd Jure civili Concubinatum, *tot. tit. ff. d. Concubin.* lupanaria, *l. ancillarum. d. hered. petit.* & conjunctiones meretricias, permissas reperimus. *l. 29. C. d. adulter. l. 4. d. condict. ob turp. causs. & l. 43. §. 9. d. jure dot.* Respondet (1) Stuckius, *decad. 1. assert. 3. lit. e.* illam permissionem factam esse comparativè, non-approbativè; *v. Ant. Matth. disputat. ff. 1. thes. 18. Hœnnon. disputat. inst. 1. thes. 7. n. 3. Guil. Val. Forsterum ad Conciliatorem Speculatoris, verb. Permitto.* Sed tamen nec permittenda sunt quæ inhonesta: quamvis interdum aliquid ad tempus in Repub. toleretur, ac dissimuletur. *disputat. meâ polit. 2. thes. 33. class. 2.* Si nempè confusio tam magna, & Reip. morbus ita sit inveteratus, ut purgationem respuat vehementiorem. *arg. Matth. 19. v. 8.* Ac si quæ in Jure nostro non honesta permittuntur; ea pro jure haud observari debent: nec quippè facienda sunt mala, indè ut eveniant bona. *Illustr. Enenckel. 1. d. privil. c. 8. n. 18. v. Timæum Fabr. disput. 1. thes. 8. Hackelm. disput. illust. 1. thes. 8.* Et aliud est vitia ferre (quemadmodùm Carolus V. ebrietatem Germanis noluit prohi-

bere; *Chytra. in Chron. Sax. fol. 510.* & Concubinatum etiam jure Romano licitum saltem, id est nec prohibitum nec permissum fuisse, rectè Gasp. Schifordegherus docet. *lib. 3. tract. 25. quæst. 1.*) aliud vel permittendo ea approbare. Simul etiam omnibus apparere debet, nos ea tolerare omninò invitos, non ut negligentes mali extirpationem. (2) Juris Canonici finis primitùs fuit; purgare Jus civile omnibus iis, quæ cum honestate vel pietate, aliquo modo pugnare videbantur; illudque ab eâ liberare contagione, quam contraxerat à Paganismo, ac omni ex parte Christianæ Reipublicæ reddere aptum.

16. Juris præceptum est, neminem lædere: huic verò an non obstat circumventio; quam jus nostrum ait congruere Naturæ? *l. 16. §. Pompo. d. minor. l. 22. §. quemadmodum. locati. l. si volunt. C. de resc. vend. vid. Rad. Forner. 6. rer. quotid. cap. 20. Dn. D. Harpprecht. ad pr. n. 18. &c. Inst. h. tit. Gædda. d. stipul. c. 3. concl. 7. num. 114. Oeleman. in proem. Antinom. Giphan. them. 4. fol. 7. Speckhan. 2. quæst. 13. Hœnnon. disput. instit. 1. thes. 7. à princ. Arithma. peric. 1. disput. 9. thes. 2.*

Sanè (1) non aliter contractuum ratio constat. *l. 8. C. d. resc. ind. vendit. l. 1. §. fin. d. pactis. Gothofred. ad d. l. 22. ff. locati.* Undè Plautus, *in Persâ, act. 4. scen. 4.*

Vin' tu benè emere? Do. vin' tu pulchrè vendere?
To. Ego scio utrumque velle.

Et interim non dolus, vel malitia, *l. 23. locati.* neque etiam læsio immodica probatur. *l. 2. C. d. rescind. vendit. ubi Pinel.* (2) Et porrò circumscriptio ista, vel est prudentia æconomica quædam (aliud namque censetur fraudulento consilio aliquem fallere; aliud verò quæstus proprii caussâ potiùs, quàm alterius decipiendi animo, circumscribere aliquem in pretio solo) vel si probitati id aliquo modo repugnare videatur; in Republicâ tamen est tolerandum, ut contractuum aliqua firmitas existat, nec qualicunque allegatâ læsione ii rescindantur.

17. Ars Juris, à Jurisprudentiâ aliquid est diversum: *Erasm. Ungepaur. exerc. Justin. 1. thes. 6.* secus ac putavit Arumæ. *exerc. 1. thes. 6.* Timæ. Faber. *disputat. Inst. 1. thes. 6.* Hœnnon. *disput. inst. 1. thes. 6.* Cramer. *thes. 7. disput. 1.* Oeleman. *in Giphan. Antinom. proem. them. 1. & disp. 1. th. 4.*

Jus

Jus ars est, Jurisprudentia cognitio illis artis. *Duaren. hoc t. c. 2. Dn.D.Bocer. class. 1. disput. 1. thes. 1.* Jurisprudentia est habitus scientis & intelligentis animi (quo sensu non ars, sed prudentia nominatur) Jus verò est collectio ac comprehensio præceptorum æqui & boni, rectè ordinatorum: ut ex Cujac. *notis poster. inst. h. tit.* docet Ericus Hedeman. *disput. ff. 1. thes. 3. lit. c. vid. Stuck. decad. 1. assert. 2. lit. b. Rainald. Cors. 1. indag. 11. Bachovium ad Treutl. disput. 1. thes. 2. lit. A. Lyclamam. 7. membr. ecl. 39. §. 1. & ecl. 40. in. princ.* Jurisprudentia est facultas; id est totum aliquod vitæ genus, & studium universale, multa adminicula requirens; ut & Medicina: quæ partim ars, partim scientia, id est, Physica practica habetur. *Dan. Sennert. Inst. Medic. 1. c. 1.*

18. Mirificè item Jurisprudentiæ definitio, ab Interpretibus nostris divexatur: ut videre licet apud Treutler. *1. thes. 2. lit. c.* Scientiæ nomen, non quidem propriè, ut ab aliis habitibus intellectus distinguitur; sed latiore nonnunquàm significatione (ut scilicet scientiis & artibus communiter tribuitur) usurpatur. *Sennert. 1. Inst. Medic. 1. fol. 2. col. 2.* Sicque Jurisprudentia non propriè, sed abusivè scientia dicitur. *Helfr. Hunn. disput. inst. 1. thes. 10. & dixi suprà ad l. 1. §. 4. h. tit.*

Aliàs Jurisprudentiæ verum genus statuo, virtutem intellectus practici. *vid. Volcm. Scribon. introd. ad Iurispr. n. 3.*

19. Nec superflua sunt illa verba: justi atque injusti scientia. *Borcholt. ad. §. 1. inst. d. Iustit. & Iur. vid. Dn. Harppr. ad §. 1. n. 4. inst. hic.*

Ant. Del-Rio. *1. de princip. Iur.* dividitur, inquit, Iurisprudentia in materialem; quæ circa res Divinas & humanas, ut materiam, versatur: & formalem; quæ circa justum & injustum. Illius notitia, hujus scientia est. Iurisprudentia enim, res Divinas & humanas considerat, intuitu Iustitiæ & Injustitiæ (non per se) hàcque ratione à Philosophià (quam etiam Divinarum & humanarum reum scientiam vocant) separatur.

Dicitur verò injusti scientia; eundem in modum, quo Dialecticam Stoici definiunt, veri & falsi disceptatricem: non quòd falsa doceat, sed quòd vera à falsis dijudicet. *Gipban. ad §. 1. institut. d. Iust. & Iure.* Et ita quoque Iurisprudentia, justi & injusti notitia est, illud ut faciat, hoc ut omittat.

20. Jurisprudentiæ definitio, quâ rerum Divinarum atque humanarum notitia deprædicatur, multis videtur ambitiosa: *Turnebus, 8. animadverſ. cap. 20.* sed malè. *Lyclam. 7. membran. ecl. 38.*

Sub nomine rerum Divinarum, haut publicum Ius comprehendi videtur; ut Matth. Stephani putavit: *d. arte Iur. cap. 2.* quippè (ut edocui jam suprà, *ad l. 1. §. 12. hoc tit. noſtr.*) Jus Divinum species tantùm est publici Iuris. Ideoque magis est ut dicamus; fieri hic rerum Divinarum mentionem intuitu Iuris Sacri. *Petr. Perrenon. 1. animad. c. 24.*

Forsan etiam (contra Donellum, *1. com. cap. 16.*) defendi potest: Quia prudentia Iuris, ad instar Politicæ, architectonica est; & sine aliarum disciplinarum cognitione, acquiri nequit (*quod paſſim in Templo Iuſtitiæ, inculco*) ideò eam sic definiri; non quòd illas suo systemate comprehendat.

Et tandem, quòd hic mentio fit rerum Divinarum; ex eo probè colligit Timæus Faber, *diſput. Inſt. 1. theſ. 5.* bonum Iureconsultum, nec malum Christianum (ut Viglio malè tribuitur) nec Pontificiæ Iurisdictionis, quam vulgò usurpant, patronum esse posse. Ridiculus ergò est Ant. Faber, qui *Iuriſpr. Papin. princ. 3. illat. 1.* hinc ad Ius Pontificium infert, & hæreticum bonum Iureconsultum esse negat.

21. Non præter rationem Jurisprudentia nostra, in Theoricam & practicam dividi solet.

Quamvis etenim, si propriè loqui velimus, tota ad praxin ordinetur; quippè cùm ejus finis unicus sit, justè & tranquillè in Republicâ vivere (quod sanè non speculatione, sed actione consequi licet) eaque ideo partibus accenseatur Practicæ Philosophiæ, quæ Theoreticæ opponitur ut species contradistincta. Nihilominùs tamen, & artes ac practicæ disciplinæ aliquo modo speculantur: non enim definire vel dividere artifex potest, nisi speculetur. Undè & Aristoteles, *in metaphyſ.* ait; artes speculari, non per se, sed ut opus consequantur. Sicque negari nequit, distincta esse studia seu officia, ut Medici, *Sennert. 1. Inſt. Medic. cap. 2.* ita & Iureconsulti; Theoriam scilicet ac praxin. *vid. Andr. Gerhard. in præfat. ad diſput. ſuas Inſtitut.*

Nec

Nec sanè glomerare inglomerabilia, quod ajunt, ii conantur; qui jactis Philosophiæ & Iuris fundamentis, praxin conjungunt cum Theoriâ. *Parthen. litigiosus. 2. c. 5. nu. 36. ac multis seqq. & dixi nonnulla, in Iustitia quod fundavi Templo: num. 91.* Experientia namque rerum magistra, atque mater efficacissima est; quæ per usum artificem reddit promptum: ars facilem, natura potentem. *Ampliss. Rutger. Rulandus, fautor meus suspiciendus: d. Commiss. part. 1. cap. 27. lib. 1.*

Lex penult. & ult. Tit. 1. Libr. 1. ff.

1. Jus pluribus modis dicitur. *Donel. 1. com. 6. 3. Dn. D. Bocer. class. 1. disput. 1. à princ. Hedeman. disputat. ff. 1. thes. 1.* Aliquâ etiam significatione Jus appellitatur locus, ubi Jus redditur: imò & in quo judicatur. *l. 4. §. quod ait. d. interrog. in jur. fac. vid. Pacium ἐναντιοφανῶν. 1. quæst. 6. Matth. Stephan. de arte Jur. cap. 1.*

Non quidem propriè judicio convenit appellatio juris: nec tamen propriè, sed itidem fit cum tropo, si jus pro loco usurpetur.

2. Sententia Prætoris etiam iniqua, valet. *h. l. n. penultimâ. l. penult. d. stat. hom. ubi in rational. Faber. vid. Pacium ἐναντιοφανῶν. 1. quæst. 5.*

Alia est Iustitia, considerata absolutè, alia habito respectu ad statum Civitatis; in quo vera ratio est, quod oporteat sequi quod vel legibus, vel per sententiam est decisum. Sicque aliud est verum in rebus ipsis; aliud verum judiciale: quod ferè concordat cum eo, quòd in Iure Divino, in ore duorum vel trium testium, stare debet omne verum. *Bachov. ad disput. Treutler. 1. fol. 5.*

Aliud respondendum erit, nullitatis si vitio sententia laboret: *tot. tit. d. sent. quæ sine appellat. resc. ind. Vantius tractat. d. nullit. per discursum.* tunc etenim non transit illa in rem judicatam, & de eâ perpetuò conqueri licet.

Oiconomia Tit. 3. & 4. Libri 1. ff.

1. Jus nostrum aut ex scripto constat, aut sine scripto. *l. 6. d. Inst.*

Inst. & Int. Jus scriptum Lex (in generaliori si ea usurpetur significatu) non scriptum dicitur Consuetudo. De utriusque naturâ, quid in duobus hisce titulis proponatur, dispicere lubet.

2. Legis quæ hîc proponuntur definitiones; *l. 1. & 2. d. Legib.* propriè si loqui velimus, exornationes potius quàm descriptiones (quas nempè brevitas maxumè decet) nominari merentur. *Ant. Muret. in comment. ad d. l. 1.*

Legem, rectè indigitat Papinianus, *in l. 1. hîc.* commune preceptum; cui scilicet, ut ex Demosthene refert Marcianus, *l. 2. eod.* omnes convenit obtemperare: etiàm qui Majestate præfulgent. *l. 4 Cod. d. tit.* Principi namque, quemadmodùm *in Demetr.* Plutarchus ait, Lex est Princeps.

Et debemus quidem Legibus obtemperare omnes; quia Lex est inventum ac munus Dei: *Muretus & Gothofred ad d. l. 2. lit. r. Camman. Colleg. polit. d. Iurib. Majest. disput. 4. thes. 5. Ioh.* von Elswich/ *disput. polit. 10. thes. 2.* quod is mediatè per viros prudentes largitur. Quippè quod viri probi prudentesque decernunt, hoc profluere ab ipso numine Divino existimari debet: cor enim hominis fidelis ac prudentis, Oraculum est (ut Hispanus quidam Politicus scribit) ubi Deus responsa reddit. Ita ut numen Divinum mediata; viri prudentes immediata sint Legum efficiens caussa. Et quoque Leges non aliundè, quàm ex Divinâ sumendâ sunt æquitate: quâ ratione Cicero alicubi dicit, Lex est ratio recta, & à Numine Deorum tracta. Leges quidem ferre, solius est Maiestatis: *l. fin. §. 1. C. d. Legib.* sed tamen interim consilium adhibendum est prudentum. *August. Morla, Empor. Iur. tit. 1. quæst. 3.* Id demum etenim ad beatitatem Imperii, Principisque gloriam redundat, quod Senatorum consilio fuerit ordinatum. *l. 8. C. d. tit. Dn. Cluten. paradox. thes. 10.* Sicut etiam Decemviris Legum ferendarum auctorem fuisse Hermodurum quendam Ephesium, in Italiâ exulantem, refertur in *l. 2. §. 4. d. Orig. Iur. vid. quæ dixi disp. pol. 3. thes. 6. class. 1.*

Lex porrò, non solùm delicta coercet, verùm & præsidet tam bonis, quàm malis; regula est justorum, præceptrix faciendorum: ut ex Stoïcæ Sapientiæ Philosopho summo, refert Marcianus. Namque licet omnes essent probi; adhùc tamen Civitas legibus & politiâ, officiorumque, h. e. imperantium ac parentium aliquâ

aliquâ indigeret distinctione. *Arnisæ. 1. doctr. polit. cap. 2. à pr. & id innuit ego, disp. polit. 1. thes. 25. class. 1.* Quia scilicet non omnes omnia agere possunt sine confusione; ideoque opus esset ordinis præscripto, & lege directivâ: quâ etiam Adam non caruit in Statu integritatis. *Genes. 2. v. 16.*

Involuntaria etiam delicta, cùm Lex dicitur punire; *v. omn. Lyclamam, 1. Membr. ecl. 8.* in generaliori significatione sumitur vox delicti, pro omni eo quod fit non jure, & ab æquitate, bonique viri arbitrio est alienum. *l. 1. Cod. si advers. delict.* At non omne quod quis præter jus involuntariè committit, pœnam aliquam meretur: sed ubi fraus intervenit reipsâ, *l. si quis cùm aliter. d. verb. oblig. l. 2. C. d. rescind. vend.* vel culpa, aut malum consilium est junctum. *vid. Zasium ad l. 1. h. Iust. Mijerum, disp. sing. ad libr. 1. ff. thes 85.*

Tandem lex, communis Reipublicæ sponsio, vel civitatis dicitur compositio communis; hoc est, mutua promissio, & communis omnium civium consensus. Undè & Julianus ait, *in l. de quib. hoc titul.* nullam aliam caussam esse, cur nos vincant leges, quàm quòd Populi judicio sint receptæ. Et quoque Aristoteles, *3. polit. 6.* Lex, inquit, conventum est, civibusque inter ipsos quasi stipulatio intercedit. Non quidem ut Fœminæ etiam debeant consentire; quod apud Boccatium Madonna Philippa, *giorn. 6. novell. 7.* prætendit, & à Doctoribus hìc disputatur. Verùm ut in Democratiâ expeditum esse videtur, quòd Leges vocantur Civium sponsio communis; *argum. §. Lex. Inst. d. Iure nat.* ubi Lex fit per interrogationem & responsionem, in modum stipulationis: ita nec in Statu Regio, id vim suam perdit. Populus enim spospondit, se Leges à Principe ferendas observaturum: *§. 6. Inst. d. tit.* & ita per alium quod facit, per se ipsum fecisse, ex vulgatâ Iuris regulâ censetur.

3. Leges constituendæ, accipiendæque sunt de iis, quæ facilè & frequenter; non quæ inopinatò eveniunt, & perrarò. *l. 3. 4. 5. & 6. d. legib. Novell. 94. cap. 2.* nam ea contemnere solent Legislatores.

Et ideò rogatus olim Solon, cur nullum in eos supplicium constituisset, qui parentes necâssent? quia neminem id sic factu[rum] reputaret, respondit. *Cicer. pro Rosc.* Sic Lycurgus, nullam de adulteris legem, idcircò se tulisse dixit; quòd tanta apud Sparta-

nos

nos eo tempore pudicitia esset, ut neminem ejus criminis reum argui arbitraretur. Ita nec Moyses, neque Salvator noster, prohibuit sui occisionem; quia eam tanquam fidei fundamentis pietatique difformem, sat eo ipso vetitam existimârunt.

Ex his porrò deduco; Legem quæ ad unum & alterum casum aptari potest; ei potiùs accommodandam, qui frequenter & facilè contingere consuevit. *Salomon. & Coras. ad l. 5. in fin. h.* Et indè pariter frequens est in jure nostro argumentum, ab eo quod communiter fieri solet. Lex namque præsumit pro eo, quod accidit sæpè: adeoque tunc onus probandi, in adversarium transit. *l. 34. l. 114. Matth. Stephani, Dialect. Iur. libr. 2. loco, 60.*

Sed (1) ais: præsumit interdum jus quod fieri potest; & tamen non fit frequenter: putà hominem ad centum vivere annos, &c. At responderi potest: Quæ per naturam eveniunt, licet rarò, attendi; *vid. Zas. ad l. 3. & seqq. num. 11. &c. hîc.* præsertim in favorabili casu, & ubi præjudicium vertitur illius, qui pro se habet possibilitatem naturalem. Inveniuntur quidem (2) Leges nonnullæ, de casibus qui non frequentur accidunt perscriptæ: verbi gratiâ, de tergeminorum nativitate, *l. 3. ff. si pars hered. petat.* de quinquagesimariæ partu, *l. si major. C. d. legit. heredit.* de novâ insulâ in mari emergente. *§. insula. Inst. d. rer. divis.* Verùm traditio theseos nostræ, de iis sanctionibus est accipienda, quæ publicè & generaliter rogantur. Jureconsulti verò, non rarò in rebus subtilibus & particularibus ab usu remotis versantur; sicut & quædam Cæsarum rescripta. *Wesemb. in parat. d. lib. n. 4.* Si quid enim non opinati emergit, conveniens est à Magistratu, vel Iuris interprete decidi. *vid. etiam Pacium, 1. ἐναντιοφ. quæstio. 10. Donell. 1. comment. 15. ubi Hilliger. lit. h.* Sed interim stultus est labor ineptiarum; & cum Bartolo aliisque commentatoribus juris, disquirere operosè: An Lazarus, à Salvatore nostro è mortuis resuscitatus, bona, uxorem, & filios recuperârit? *Vasqui. præfat. illustr. n. 64. &c.*

Nec leges solùm de frequentioribus casibus scribuntur; sed nec curatur, etiamsi lex in uno atque altero casu speciali, esset iniqua. Undè Cato *apud Livium*, contra Trib. pleb. dixit: Nulla lex satis commoda est omnibus; id modò quæritur, si majori parti, vel in summâ prodest.

4. Sen-

4. Sententiæ ac rescripta, particulares concernunt personas: *vid. Jacob. Gothofred. in not. ad L.* X I I. *Tabul. fol. 174.* Jura verò non in singulos, sed generaliter sunt constituenda. *l. 8. d. llb.* Et ratio differentiæ subsistere mihi videtur in eo; quòd contra rescripta & res judicatas, varia Jus nostrum remedia prodit, legibus verò sine contradictione omnes & ubique convenit obtemperare.

Huic geminum est illud, quod in Lege XII. Tab. habetur: Privilegia ne inroganto. *Agell. 10. c. 2. Theodor. Marcil. in interpretam. L. 12. Tab. §. 84.* Rationem propter quod non liceat rogationem contra singulos ferre, illam suspicor, ait Quintil. *declam. 339.* quòd peccata singulorum videantur habere suas leges, &c. Et est lex jussum populi generale: cujus ideò officium est, non in privatas aliquorum personas; sed in commune statuere; *l. 1. d. ll.* & unâ eademque voce, cum omnibus loqui. (Quamvis & arcanum quoddam Democraticum redolere videatur; quòd de singulis rogationes fieri prohibitum olim erat: ne scilicet ductoribus Populi ansa detur, extraordinariè aliquid à Populo emendicandi) Quò pertinet, quod post Menoch. *consil. 250. num. 95. & seqq.* Nic. Betsius, *d. pact. fam. c. 8. fol. 303.* assertat; tunc demum Principem supremum, jus alterius lege à se latâ aufferre potis esse: quandò lex est generalis, omnes comprehendens. Et quod Jason aliique hìc notant; Civitatem generale Statutum, quod certas personas, & earum respiceret odium, ferre non posse: à Statutoque quod in verbis esset generale, certas autem personas contingeret in effectu, jus esse provocandi.

Attamen non regulæ in nostrâ propositæ thesi, refragantur privilegia dotis, Fisci, &c. ut & singularia jura: quemadmodùm Cujac. ostendit, *15. obs. c. 8.* sugillatus à Marcil. *sup. d. l.* Sunt & constitutiones personales, quæ tamen leges non censentur, *l. 1. d. constit. Princip. Pacius. 1. ἐναντιοφ. q. 11.* sed dispensationes.

5. Legis vires & proprietates, non in imperando solùm, vetando, permittendo & puniendo consistunt. *l. 7. de Legib. vide Bachovium ad disp. Treutl. 1. thes. 3. lit. c.*

Inveniuntur enim Leges, quæ consulunt tantùm. *l. 24. d. rei vindicat. l. 1. d. inoffic. testam. Sebastian. Medices d. ll. & statut. part. 4. quæst. 22.*

S

q. 22. & 23. quod est medium, inter pmittere & jubere. Multis textibus rudem & perplexam quandam narrationem suasoriam, Græco more magis inesse, quàm Legem vel sanctionem breviter & apertè imperantem, more Romano; ait David' Argentè. *notar. fol. 302. b.* Quin & ad juris artem homogeneè quæ pertinent leges, dogmaticæ tantùm sunt; docent, erudiunt, dant regulas, fallentias & exceptiones. (quamvis si propriè loqui velimus, differentia quædam sit, inter Leges & præcepta artis Juris) Nec ergò cum Bl. & gl. *h.* dici potest; quòd istæ sunt quatuor legis virtutes reductivè: quasi omnis virtus legis, per æquipollens in iis includatur. Quippè maxuma etiam est vis legum, in præmiis tribuendis. *l. 1. §. 1. d. just. & jur. Muret. ad d. l. 7.* Neç adstipulari Mattheacio queo, qui præmia excludit. *1. de viâ Iur. c. 32. num. 7. & seq.* Nec me movet, quòd ille ait; præmio afficere haut proprium esse Legis, cùm sit commune etiam privatis: namque præmia publica, à solâ distribuuntur Lege; vel mortuâ, vel vivâ.

At quomodò lex permittere potest, cùm quæ non sunt prohibita, permissa censeantur? *arg. l. 4. in princ. d. stat. hom.* Undè & Persius canit:

Cur mihi non liceat, jussit quodcunque voluntas?
Excepto si quid Masuri Rubrica vetavit.

Sed sunt quædam prohibita sui naturâ, quæ certo in casu licita censentur: putà sui defendendi causâ hominem occidere; *l. 3. d. Iust. & jur.* vimque inferre. *tot. t. C. quand. lic. sine iud. se defend.* Sunt & actus indifferentes, qui tum permittuntur, quandò legis præscriptum & ordo servatur. *vid. Hillig. ad Donell. 1. com. 5. lit. E. & G. Ant. Fab. in rational. ad d. l. 7. verb. permittere.* Sunt quoque nonnulla per se non proba, quæ dissimulando permittit legis lator. *ut jam suprà dixi, ad l. 10. §. 15. d. Iust. & Iure.*

6. Leges in Monarchiâ solus condit Princeps. *l. 1. d. constit. Princip.*

Leges quidem cùm eam habeant potestatem, ut iis omnes qui in Republicâ sunt, obligentur; meritò totius quoque Populi consensum requirunt: *l. 1. ibi: communis Reip. sponsio. d. ll.* magisque secundum naturam videtur, ut populus Legibus cùm Naturæ, tum à semet latis obligetur (quæ etiam est prærogativa Democratiæ) nec iis Legibus obedire cogatur, quas hodiè statuit Prin-

ceps

ceps, cras in contrarium mutat. Verùm cùm hoc in eo populo fieri non queat, ubi mores & ingenia vitiis, perversisque opinionibus sunt infecta; factum indè est, ut pluribus in locis, unus vel pauci imperitarent, summamque Reipublicæ obtinerent. *vid. quæ dixi, disput. it. polit. 9. thes. 22. class. 1.* Quo respectu Pomponius, *in l. 2. §. 11. d. Orig. Iur.* scibit: per partes, id est factiones evenisse, ut necesse esset Reipublicæ per unum consuli; Principem igitur fuisse constitutum, datumque ei jus, ut quod constituisset, ratum esset. Ergò hodiè toti populo placere videtur, quod soli Principi placet: posteaquàm Regiâ Lege, Populus ei omne contulerat Imperium potestatemque. Et indè Jus non solùm consensu sancitum; sed & necessitate dicitur constitutum: *l. pen. de legib. Cujacius, 14. obs. cap 16.* necessitate scilicet consequentis, quæ subsequitur ex summi Imperii concessione.

7. Quemadmodùm Populus in Democratiâ, Optimatum collegium in Aristocratiâ: sic & in Monarchiâ seu Regno, Princeps Legibus est solutus *l. 31. d. Legib.* quâ de re multis differunt, Illustr. Enenckel. 1. *d privileg. c.* 8. Dn. Harpprecht. *ad proëm. tit. Instit. de rerum divis. num. 124.* Dn. Bocer. *tr. d. investit. cap. 3. num. 78. &c.* Hilliger. *ad Donell. 1. com. 17. lit. a.* Hackelm. 1. *illustr. thes. 10.* Lyclama, *4. membr. ecl. 20.* Joh. Calvin. seu Kahll *tr. d. Principe, c. 2. & fol. 93.* Riemer. *Semicent. decad. 1. thes. 7.* Hunnius, *d. Interpr. 2. c. 1. quæst. 6.* Joh à Chokier, *Thesaur. polit. aphorism. 2. c. 2 fol. 52.* Henr. Brunning. *disp. d. jure Universit. thes. 3.* Arumæus, *d. jure publ. discurs. 8. Erasm. Ungepaur. exerc. 1. thes. 15.* ego, *disput. pol. 2. thes. 52. & seqq. class. 1.*

Legibus solutus reputatur Princeps, id est omni jure scripto exemptus. *Dion. hist. Rom. libr. 53.* Non enim Legibus soluta potestas, ad Naturales, rectæque rationis sanctiones, & si quæ sunt aliæ humanâ potestate superiores, vim suam porrigere potest. Hincque rectè *hîc* dicit Baldus; Princeps est sub lege Poli, Naturæ, Rationis. Apud Deum non est respectus personarum: & ideò suis legibus ex æquo omnes obligamur. Summa illa potestas non liberat, sed saltem reducit Principem ad Jus Naturæ *arg. l. Imperialis, 23. in princ. C. d. nupt.* Indéque Princeps, æquè ut privatus, con-

tractibus tenetur: *Bronchorst. 1. ἐναντιοφ. 11. & miscell. cent. 1. asfert. 2. Arumaus, disputat. ad ll. pracipuas, 1. thes. 9. Hackelm. d. thes. 10. lit. b.* adeò ut restitui nequeat adversus obligationem ex contractu descendentem *Guido Papæ. decis. 340. Lucas de Penna, in l. 1. C. de prapos. Sacri cubic. Zasius b.*

Nullo autem modo adstipulari Cujacio debemus: qui *lib. 15. observ. cap. 30.* deceptus titulo *d. l. 31.* præfixo, non aliis nisi Caducariis legibus, Principem putat esse solutum. Levior est hæc conjectura, quàm quæ ad rem tanti momenti probandam sufficere queat. *ut jam monui suprà in præcognitis, §. 9.* Certè cùm Princeps Imperium habeat omne, eadem etiam potestas, ad leges usque se se extendet. Hoc intuitu dixit Justinianus; *in Novell. 105. cap. 2. §. 4. in fin.* Deum & ipsas Leges subjecisse Imperatori, &c. Hocq; est quod rescribit *l. omnium. C d. Testam.* Principem Juris totius obtinere vicem. Quò & respicit vox illa Africani: Si me populus Consulem volet, sat habeo annorū. Et ratio docet naturalis, sublimem illam in Rep. potestatem, Majestatem quam vocant, Legibus soluto Imperio instructam esse debere: ut quoties Populi salus, utilitas publica, justitiæ vel necessitatis ratio, aut similis id postulat caussa, in commune pro arbitrio jubere, ac ita cunctis consulere possit: Jurium apicibus repudiatis. Haud aliter atque Familiæ Princeps, in suâ domo imperat solus: neque ab alio ullo, sive uxore, sive liberis, accipit Legem; & propria sua jussa, si ita expedire videatur, revocat limitatque: (undè & familia, ab Apulejo Respublica dicitur pusilla, & pater familiæ nominatur Princeps, *in l. 196. d. V. S.*) Quod & facit Nauta, Architectus, &c. Regulis & Legibus omnia definiri non possunt, nec omnes casus ad Leges applicari queunt; neque etiam Leges pristinæ, mutatis moribus retineri debent. Convenit ergò, ut in Republicâ, quædam Legibus liberata sit potestas; Leges quæ corrigat, novas sanciat, vel contra leges sancitas, & adhuc validas, certis in calibus si ita expedire videatur, dispenset. Leges propter Rempublicam; & ut ea salva sit, constituuntur, non Respublica propter leges: prospicere ideoque debet Princeps, Respublica ne quid capiat detrimenti; etiamsi legum subtilitas negligatur. Et tunc quod Principi placet, legis habet vigorem. *l. 1. d. Constit. Princip.*

Sed

Sed cùm hæc præcellentia potestatis, ad Reipublicæ salutem, eò faciliori operâ procurandam fuerit inventa. Ergò non nisi salute communi, & necessitate ita exigente usurpari debet. *ut dixi. disp. pol. 2. thes. 40. & seqq. class.* 1. Finis Reipublicæ est, Iustitiæ administratio & populi salus quod obtinui *disp. pol. 1. thes. 34. class. 1.* Verùm in omni disciplinâ, media debent esse appropriata fini. Ergò cùm Imperium & principatus media sint, per quę ad Reipubl. finem perveniatur, non debent illà media aliquid fini cōtrarium operari. *arg. l. 25. h. t. n.* Ac proindè ad Reipublicæ augmentum, omniumq; incolumitatem quæ posita sunt; non est quod deminutioni ejusdem, vel ullius oppressioni præbeant occasionem. Et itaque quemadmodùm eatenus legibus soluta est Majestas, ut salutis publicæ caussâ, easdem negligere possit: sic hâc non militante ratione, regulariter secundum leges, vel à se, vel ab antecessoribus suis latas, vivere & judicare debet. Quo respectu dicunt nostræ leges; nihil tam proprium Imperii esse, quàm legibus vivere: *l. 3. C. d. testament.* tantæque Majestati decere, eas servare leges, quibus ipsa soluta esse videtur *l. 23. d. legat. 3.* Sicque alicubi dicit Imperator, *§. fin. Inst. quib. modis testam. infirm.* licet legibus soluti simus, Legibus tamen vivimus. Et quoque dignam esse vocem Majestate regnantis, legibus alligatum se Principem profiteri. *l. 4. C. d. lib.* Hincque non potest filium emencipatum; in patris potestatem redigere Imperator; *Novell. 89. cap. 11.* mutare licet Testamentum, in quo Imperator fuit institutus; *l. ult. qui testam. facere poss.* nec Imperator litis caussâ heres nominari potest *l. penult. d. hered. instit.* ex imperfecto Testamento non vendicat legata Princeps; *l. 23. d. legat. 3. l. ex imperfecto. C. d. testament.* & is in onere quoque hereditatis, *l. 60. d. condit. & demostr.* vel auctoris sui succedit; *l. 6. l. 22. §. 1. d. Iure Fisc. l. 2. & 3. C. ne Fisc. vel Resp* etiam in Legatis Principi relictis, Lex Falcidia locum habet; *l. 4. C. ad L. Falcid.* & Testamentum inofficiosum dici potest, licet in eo Imperator sit heres institutus. *l. 8. §. 2. d. inoffic. Testam. &c.*

Errant idcirco magnum errorem, Albericus Gentilis *disputat. Regiâ 1.* Henning. Arnisæus, Iac Bornitius, *in tractatib. de Majestat. passim*, & Dominic. Arumnæus; *disp. ad Leges præcipuas, 1. th. 8.* qui inter Imperii potestatem, voluntatemque ac bonitatem Principis distinguunt, & quæstionem de Principis voluntate, à quæstione

ſeparant obligationis, *vid. Diſſertat. Cyriac. Herdeſiani, de Principis in ſubdit. poteſtat.* Quippè conditionaliter, ac certâ de cauſsâ (nempè ob publicam ſalutem) Princeps Legibus eſt ſolutus. Ergò conditionaliter quæ eſt data, conditione non eveniente; hoc eſt, ſalute publicâ id non exigente, ademta cenſeri debet. *per jura vulgata.* Poteſtatem pro jure, non pro violentiâ ſumo. Sicque Princeps, tali modo poteſtatem habet, ea quæ non ſunt recta faciendi; quemadmodùm is qui ſuæ vitæ haut parcere cupit, poteſtate pollet Principem occidendi.

Pariter quoque ſubſiſtere nequit, opinio eorum, quam poſt Covarruviam, Fachineus, *1. contror. c. 2.* & Barclajus, *3. contra Monarchomachos, c. 15.* proponunt: Principem nempè Legis vi coactivâ ſolutum, directivâ obſtrictum eſſe. Quæ opinio gemina videtur cum errore Græcorum, quo, Legibus pœnariis Principem eximere, Cujacius, *15. obſ. c. 30.* & Vultejus, *ad §. ſed & quod Principi. Inſt. d. Iure nat. &c.* atteſtantur. Verùm enimverò, ſi Princeps aliquid pœnâ dignum committat; æquè is eſt pœnæ reus, ac ſi in Liberâ Republicâ univerſus Populus delinquat. At hanc exigi pœnam, non è publicâ re eſſe videtur; niſi Tyrannus evadat: quo caſu Populus eum plectere poteſt. *diſp. meâ pol. ult theſ. 53. & ſeqq. claſſ. 2.* Sicque de facto, Legibus pœnariis eſt ſolutus: de jure iis (Naturæ modò non ſint difformes) eſt obſtrictus; *ex Onciac. Hackelmanni. illuſtr. 1. theſ. 10.*

Licet verò Princeps quoad ordinariam, ut jam deduxi poteſtatem, leges ſequi teneatur, multiſque in caſibus æquo jure cum cæteris utatur: attamen etiam ſecundum jus regulare, plurima privilegia habet. Etenim injuria illi inferretur, ſi cùm ſummam habeat poteſtatem, pari per omnia cum aliis eſſet conditione. *Ariſtot. 3. polit. 9.* De hiſce privilegiis, accipienda eſt Lex *3. (ut & l. 19.) C. de Teſtament*, ubi dicitur; Legem Imperii, ſollemnibus juris Imperatorem ſolviſſe. Quippè minutias ejuſmodi, optimâ ratione ſequi dedignatur, qui Majeſtate præfulget. Quomodò enim non tantæ detraheret auctoritati, Principis ſi Teſtamentum, propter defectum alicujus jure civili introductæ ſollemnitatis, invalidum diceretur? *Roſenthal. tr. feud. c. 12. concl. 10. & dixi diſert. Nomicopol. d. Succeſſ. & Elect. lib. 1. diſſert. 2. n 8.* Si donatio Imperialis, vel quæ à privatis in Principem confertur, monumentis ſeu inſinua-

nuatione indigere judicaretur? *l. 34. in pr. & auth. seq. C. d. donation.* Aut si quod Principi est legatum, eo antequàm dies legati cedat defuncto, non successori ejus deberetur? *l. 56. d. legat. 2.* Ita Principes, in Nuptiis non observant jure saltem positivo prohibitos gradus. *Isaac. Angel. Imp. c. 2. suarum constitut.* Sic itidem Fiscus & patrimonium Principis, sua privilegia habent, &c.

Hæcce verò, Principi jus ordinarium quæ Privilegia concedit, multis modis differunt à potestate Legibus liberatâ: ut ex suprà dictis nemo non intelligere potest. Et ideò porrò, *in hâc L. nostrâ, §1.* subjungit Ulpianus; Augustam Legibus quidem solutam non esse: & tamen Privilegia Principis habere, ex speciali cõcessione. Vndè alibi idem Ulpianus: Quodcunq; privilegium, inquit, competit Fisco, hoc idem Augustę ratio haberi solet *l. 1. §. ult. de Iur. fisci.* Augusta Principis Vxor est: quâ in re tamen haudquaquam ignorandum, non simul atque Imperator creatus erat, datumque illi Augusti nomen, uxorem eius Augustam appellatam; sed cùm Senatui demùm videbatur. *quod hîc Coras. not.* Idquè ad simulachra pertinet, & ne Impp. Romani mox ab initio Regiam potestatem habere viderentur. Cùm enim privatæ mulieres; refulgeant honore maritorum: *l. fœminæ. d. senatorib. l. mulieres. C. de dignitat. libr. 12.* multò certè magis Augusta, tanto viri fulgore erigi & corruscare debet. Ideoque subsequentium Imperatorum (quod & hodiè observatur) ut & uxores Regum, unà ferè cùm maritis coronantur, & id quoque factum hodiernæ Augustæ *vide* Vo'l i' die Reichshändel Guldasti. *part. 4.* Augusta verò, cùm (ut dixi) privilegia saltem Principis, non absolutam habeat potestatem: indè non est ut anxiè cum DDbus nostris disquiramus, cur bellum non gerat, cur leges non condat? & quæ sunt similia, ad potestatem Regiam, magis quàm ad privilegia Principis quæ referri merentur. Illud huic nostro enuncia tò obstare videtur; quod respondet JC. *in l. 57. d. legat. 2.* id privilegium, ut quod Principi est legatum, eo antequàm dies legati cesserit defuncto; successori ejus debeatur; non competere Augustæ. Non placet quam Jul. Pacius *1. ἐναντιοφ. 13.* adfert solutionem: non omnia nempè privilegia Augustæ esse concessa, sed ea saltem de quibus expresse cautum reperitur. Quod non convenit huic Ulpiani responso: ubi dicitur, eadem privilegia; id est omnia, vel planè

per

per omnia similia Augustam habere. Potiùs ergò est ut dicam; omnia competere Augustæ Privilegia, nisi quæ specialiter sunt excepta. Ergò in *d. l. 57.* specialis proponitur casus; rationemque exceptionis *hic* suggerit Costalius sat elegantem. Nimirùm; quia Augusta dignitatem non habet, idcircò si ei quid sit legatum, & illa antequàm dies cedat è vitâ migret, deficit legatum. Quod in Principe haud fieri solet, *l. 56. d. legat. 2.* sed id successori debetur: cùm magis dignitati, quàm personæ legatum videatur. Dignitas autem non mori censetur, sed jugi continuatur successione; quod non fit in Augusta, cujus nempè dignitas non ita perpetua est; salvo etenim imperio, in cælibatu vivere potest Princeps.

8. Lege Regiâ, Principi omne suum Imperium & potestatem Populus dedit. *l. 1 d. constit. Princip.* De illius verò Legis historiâ & origine, magna inter Doctos controversia manet. *vid. Muret. ad d. l. 1. Andr. Scheps in tr. manuscr. Clariss. Dn. D. Thom. Lansium, & Just. Eccardum (competitorem olim meum) in dissertationibus hâc de re sing. Aruma. exerc. 1. thes. 18. Stuck. disputat. ad Instit. part. 1. decad. 1. assert. 6. fol. 106. &c. Val. Arithme. pericul. 1. disputat. 1. thes. 7. Bachovium. ad disput. Treutler. 1. fol. 26.*

Toto quòd ajunt cœlo, errare mihi videntur ii; qui Legem Regiam de Imperio Romanorum Principum latam, confundunt cum Jure Regio Samuelis. *1. Sam. c. 8.* Annè enim Populum Romanum eveniente Principatu, ligare incipiebat Jus illud, de quò diù antè in Palæstinâ, verba fecit Israeliticus Propheta? Non item ad Romuli Imperium referre queo Regiam legem, quâ Monarchicus Principatus stabilitus fuit: quippè cessavisset ea post sublatum vetustius Regnum. Regiarum quidem Legum, mentio fit in *l. 2. §. 36. d. Orig. Iur. & in l. 2. d. mort. infer. vid. Lyclam. 7. membr. ecl. 9. ad fin.* Sed eæ à caussâ efficiente, quòd à Regibus, Comitiis centuriatis rogatæ, ita dictæ fuerunt; & exactis Regibus, Lege Tribunitiâ aboleverunt. *l. 2. §. 3. d. O. I.* Nostra hæc Regia Lex, ita nominatur ab effectu; quasi de Principis absoluto Regioque Imperio scripta. Nec quoque ejus fundamentum est in Lege XII. Tabularum. Quamvis enim inibi de Consulibus dicatur; *Nemini parento*; attamen id de aliis Magistratibus, non de Populo est

lo est intelligendum, ad quem à Consulibus provocatio erat. Alii referunt ad Sullam. *IC. quidam Westphalus, in disputat. d. Principatu thes. 45 tomo 1. Iuris publici, Hanov. editi.* Sunt & qui eam Julio Cæsari adscribunt, *argu. traditorum à Sueton. cap. 84. vid. Conrad. Zerneman. in laborib. Cæsaris. num. 187.* Sed unus & solus mihi videtur esse Augustus, qui cuncta discordiis civilibus fessa, nomine Principis sub Imperium accepit, *Tacit. 1. ann. il. a pr.*

Nec quòd nomen Legis huius, Historicis est ignotum; propterea illam fictitiam esse, cum Connano *1. com 10.* pronuntiandum erit. Non enim ut conjicio, Regia ab initio, sed Imperii Lex primitùs adpellata fuit; quasi scilicet, de Imperio Principis prolata. *l. 3. C. d. Testament.* Augustus quippè fallaciâ & sophisticatione politicâ singulari, exosum Regis nomen abhorruit semper; rem interim avidissimè amplectebatur, & ut Populus ad Imperium sibi spontè tradendum adigeretur, summâ diligentiâ laboravit. Natalem ergò sæpè dictæ nostræ Legis, refero ad X. consulatum Augusti. Verba quippè Dionis, *lib. 53. fol. m. 515.* de Lege illâ accipienda esse si quis dubitaret, hunc cum Pyrrhonicis de ipsâ incertitudine incertum esse censerem. Explicatè scilicet *libr. 32. & 53.* narrat Dion; quomodò Augustus in V. suo consulatu, Imperatoris acceperit nomen; non quale propter victoriam tribui more vetusto solebat, sed quo summa Imperii demonstraretur. In ejusdem VII. Consulatu, illum ad Imperium in Republicâ sui unius, volentibus Civibus (ne coacti videri possent) stabiliendum, adjecisse animum ait: & quò insimul novâ magnanimitate honorem suum augeret, oratione quam ex scripto recitavit, Populo Rempublicam sese redditurum simulâsse. Senatores quosdam metu, quosdam odio Popularis Reipublicę turbulentæ, multis eum verbis precatos fuisse, ut solus Imperii gereret summam. Hâc arte, cùm se velle Imperium deponere simulâsset, effecisse; ut id ei à Senatu Populoque confirmaretur. Multa alia insequentibus temporibus tributa Augusto fuisse refert (& tandem ipsam etiam, ut jam dixi, Legibus omnibus liberatam potestatem) præter Regium vel Romuli (quod adpetebat) nomen. Denominationem quippè ejus Imperii, quo omnis penes unicum aliquem esset potestas, adeò Romanis invisam fuisse; ut ne quidem Dictatorem eum sustinuerint nominari. Cùm tamen ad Augustum summa

Re pub'icæ fuerit relata, fieri non potuisse, quin sub Regibus fuerint Romani, rectissime judicat ipse Dion. *adde Iul. Cæs. Bulenger. in Imperat. Rom. libr. 1. cap. 7. & vide quæ scribo disput. polit. 5. thes. 15. class. 1.* Quamvis autem legem, per quam Augustus Legibus fuit liberatus, Regiam non nominet Dion: eâdem tamen Lege, cùm Augusto omnia fuerint data, quæ in *l. 1. d. constitut. Princ.* Regiæ Legi adscribuntur, quis non hasce Leges pro unâ eademque reputaret?

Hanc itidem opinionem, quâ legem Regiam sub Augusto primùm latam fuisse dico; non leviter etiam approbare videtur, Lex *14. in fin. de manumiss.* ubi Lex Regia dicitur Lex Augusti: quo eodem sensu, *in l. un. §. 14. C. d. caduc. tollend.* appellitatur privilegium Augustum. Accedit quòd omnes Auctores fide digni, uno ferè ore fatentur, Monarchiam Romanam sub August. Cæsare cœpisse: fieri autem aliter nequit, nisi ut Regia Lex, initium habuerit simul cum tempore eo, quo Romana Monarchia principium sumpsit. *d. l. 1. d. constit. Princ. Constit. d. concept. ff. §. 7. & § sed & quod Principi. Inst. d. jur. natur.* Sicque Strabo, *libr. 17. Geogr. sub fin.* adfirmat: Augusto Cæsari totius Imperii patrocinium quamdiu viveret à patriâ ejus fuisse permissum. Et Flav. Josephus, *19. antiquit. fol. mihi 3:4.* ita scribit: Ludos illo tempore fuisse celebratos, in honorem Cæsaris, qui primus in se transtulit Populi potestatem. Quòd autem ibi de Augusto Cæsare loquatur, ex insequentibus patet, ubi expressè Augusti facit mentionem. Sic & Legis Regiæ (sub Imperio Vespasiani repetitæ) fragmentum, quod adhuc hodiè, tabulæ æneæ immissum, Romæ in Capitolio videre licet & Justus Eccartus, *d. tr. d. Lege Regiâ, fol. m. 29.* fideliter descripsit; nullius ante Augustum Imperatoris mentionem facit: cùm identidem hæcce ingeminat verba; uti licuit Divo Augusto, Tib. Julio Cæsari Aug. Tib. Claudio Cæs. August. Germanico, &c.

9. Per Regiam Legem, Populus Principi, etiam in ipsum Populum dedit potestatem. *vid. Joh. Calvinum, alias* Kahl/ *tr. d. Principe. cap. 1. fol. m. 56. Donell. 1. com. 15. Govean. 2. variar. 30. Ant. Matthæ. disputat. pandect. 1. thes. 29. & novissimè Gasp. Schifordegher, lib. 3. tract. 19. quæst. 11.*

Sunt

Sunt qui putant verba *(et & in eum) posita in L. 1. d. const. Princ.* ita esse intelligenda, ac si dicat Ulpianus, Principi à Populo tributam fuisse omnem potestatem, non modò in Cives Romanos; sed & in Principem ipsum: idque ajunt Grammaticam exigere rationem; cùm *(eum)* pronomen sit relativum. *vid. Cujac. 15. obs. cap. 30. Dn. D. Bocerum, d. invest. cap. 3. num. 91. &c.* Ego pronomen *(eum)* pro reciproco *(se)* positum autumo: ac si dixisset Ulpianus; Populum Principi, etiam in se, idest Populum concedentem, Imperium omne tribuisse: hancque interpretationem exigit ipsa rei gestæ natura. Populus etenim Principi semet subjecit: & absonum est alicui dare potestatem, quâ adversus se, is cui datur debeat uti. (1) Non quippè alicui jus in se esse potest; & oportet obedientium imperantiumque distinctas esse personas: cùm alioquin quis sibi ipsi injuriam quoque facere possit quod non magis possibile esse dicunt, quàm suæ rei furem, suæ uxoris adulterum esse. *vid. l. 7. §. 8. d. donat. int. virum & uxorem l. 40. §. ult. d. fideicom. libert. l. 13. §. 4. ad Trebell. l. ult. C. de pact. l. 51. d. arbitr. Aristot. 5. eth. cap. ult. Arnisæus d. Majest. 1. c. 3. num. 6. fol. 54.* Et (2) scimus porro, reciproca interdùm pro relativis, & vicissim usurpari. *vid. Goclenium in Analect. fol. 5. & 350.*

Quid si dicamus, *ei & in eum*, Synonima, & emphaseos gratiâ posita esse? ut sit, Populum Principi, & in Principem transtulisse suam potestatem. Minimè tamen Princeps, majorem quàm populus olim, habet potestatem: ut rectè contra Ant. Fabrum (malum sanè politicum) Doctissimus Hilligerus *(vel invito Schifordeghero, 3. tract. 19. quæst. 11. & 12.)* demonstrat. Populi potestas non minor fuit, quòd eâ adversus se uti nequivit. Populus non habuit potestatem in se, nec Princeps in semet ipsum. (Et itaque si propriè loqui velimus, Populus non quâdam translatione, sed dum se Principi subjecit, ei contulit hanc potestatem: quemadmodùm pretii participatione servus fit, qui sui dominus haud existit) Plusquàm Lynceus est Schifordegherus, si majorem Principis potestatem quam Populi, exindè perspicere potest. Imò in Principes Tyrannos, Populus Romanus aliquam sibi retinuit potestatem. *vid. dispt. meam polit. ult. thes. 55 class. 2.* Populo Tyranno, nemo poterat jure imperare. Obstare (1) videtur *l. 3. in fin. d. offic. Prætor.* cui satisfacit Lyclama, *1. membr. ecl. 6. fol. 29* At a s

 (2) Pri-

(2) Privilegia Populum irrogare non potuisse? *ut etiam suprà. §. 4. dictum fuit.* Sed hic potestas ordinaria, ab extraordinariâ distingui debet. Non prohibitum erat Populo ea dare; sed noluit ea à se peti. Et itidem arcanum est in Democratiâ, ut Populus secundum Leges Rempubl. administret, & ipsemet nesciat quam habeat potestatem.

10. Quodcunque Imperator, vel de plano fuerit interloquutus, Legem esse constat. *l. 1. de const. Princ. Duaren. ad t. d. ll. c. 2. Connan. 1. com. 16. num. 5. Dn. D. Harppr. ad §. 6. inst. d. jur. nat. num. 4. Hackelman. disput. illustr. 1. thes. 13. Timaeus Faber, disputat. 3. thes. 6. Addatur Beroaldus, in Com. ad Sueton. in Caes. cap. 77.*

Leges à Principe latae, Constitutiones denominantur. Earumque nomine intelliguntur Rescripta, Epistolae, Subscriptiones, Adnotationes, Decreta, Pragmaticae sanctiones, Mandata, Interloquutiones, Edicta. *Gothofr. ad rubr. C. h. tit.* Rescriptum vocatur, cùm Princeps vel ad libellos praesentium, vel ad Magistratuum absentium Consultationes, quid sibi eâ de re fieri placeat, respondet. *l. 19. §. 9. ff. locat. l. 17. d. Iur. patron. l. rescripta. de prec. Imp. offer.* Et à decreto differt in eo; quòd rescriptum fit sine causae cognitione: Decretum nunquàm nisi plenè cognitâ causâ; cùm quippè nihil aliud sit, nisi definitio negotii post plenam causae definitionem. *Faber, in rational. h.* Rescripta verò, cùm per ea Principes respondebant praesentibus, sese per libellos consulentibus, Subscriptiones aut Adnotationes: cùm absentibus, Epistolae indigitabantur. *Donel. 1. c. 9.* Cùm autem rescripta non de privatorum negotiis, sed corporum, ordinum & Collegiorum causis, de consilii sententiâ emittuntur; Pragmaticae sanctiones indigitantur. *l. universa. §. 1. C. d. divers. rescript. & pragmat. sanct.* Indè, ut opinantur, deducto verbo; quòd Pragmaticis & viris peritis in consilium adhibitis, interponantur. Mandata Principum, praecepta sive monita sunt, quae certis personis à Principe dantur; veluti Praefectis & Procuratoribus. *tot. tit. C. d. mand. Princip.* De plano interloqui dicitur Princeps, cùm quasi inter aliud agendum & loquendum, constituit quid. *Coras. h. adverb. interloquutus.* Edicta Principum generales sunt Leges, quae omnes Populos & provincias

tenent,

tenent: cùm non ad certam controversiam, de quâ consulti sunt respondent; sed generaliter, quasi novam aliquam sanciunt legem *l. 3. C. d. ll. l. 6. C. d. incest. nupt.* Et quoque aliquandò summorum Principum facta, pro Lege habentur. Sicque cùm Comitem Egmondanum Philippus Hispaniæ Rex, ferentem secum de rebus gravioribus colloquia, pileo imposito, caput operire jussisset; per argumentum illius honoris, Principis dignitatem fuit judicatus sententiâ Regis accepisse. *Kirchner. 2. d. Legat. c. 5. s. m. 234.* Verùm huic nostro enuntiato, quo diximus Principis interlocutionem vi legis pollere; Pacius *1. ἐναντιοφ. quæst. 17.* opponit *l. 3. C. d. ll.* Et Horoman. *2. obs. 4.* verba: *de plano interloquutus est*, prorsùs tollenda esse censet. Sed ipse Ulpian. *in l. 1. de constitut.* inter constitutionem generalem & personalem, distinguit. Interloquutio Principis Legis vi pollet, id est, pro jure habetur, respectu negotii quod concernit. *Anton. Fab. in rational. ad d. l. 1.* Sed generalis tum demùm Lex habetur, & ab omnibus in posterum observari debet; si ad Senatum missa ut confirmetur, si Edicti vocabulo nuncupata, si jussa divulgari, si generalis vocitata, si in corpus juris relata. *Bald. ad l. 3. C. d. ll.* Quorum alterutrum si fuerit factum, nil planè refert, sive illa Lex, priùs Rescriptum, Subscriptio, Interloquutio, Sententia, vel quid extiterit simile: modò generalis Legis requisito, h. e. sollemni publicatione non destituatur.

Sanè & Rescripta olim, non vim legis generalis habuerunt; sed adducebantur sicut hodiè solent res judicatæ in Curiis supremis. Quin & adhûc hodiè, postquàm syntagmati juris sunt inserta; remanet in ratione interpretandi differentia magna: ad speciem enim propositam accommodata, non continent generales juris definitiones. Undè argumentum à contrario sensu, perperam ex iis deduci, adnotant nonnulli. *vid. Hilliger. ad Donell. 1. cap. 9. D.*

11. Non quidem Legem; sed tamen Jus olim facere potuit Senatus. *l. 9. ubi Anton. Faber. d. legib. vid. Johan.* von Elbertsch *amicum meum, disput. polit. 10. thes. 15.* Namque ut in liberâ Republicâ Populus; ità sub Monarchiâ, solus Princeps fert legem: utrobique Juris faciendi facultatem, Prætor, Jureconsulti, aliique habuerunt.

12. Auctoritatem rerum judicatarum, vi Legis non posse, non Judicem cogi eodem modo judicare, quo alii antè judicârunt; textus est in *l. 13. Cod. d. sentent. & interloc. omn. Judic.* & jam dixi suprà, *ad l. 7. & 8. d. Just. & Jure. §. 7.*

Non refragatur *l. 38. d. legib.* ubi dicitur; rerum perpetuò similiter judicatarum auctoritatem, vim Legis obtinere. Perpetuò itaque, h. e. longo tempore & similiter judicatum esse oportet, tunc enim res judicata, in vim quasi consuetudinis valet: alioqui legibus non exemplis est judicandum. *Pa. ius. 1. quæst. 16 Ludov. Rudolphin. conclus. 10.* Quamvis ubi termini sunt pares, Principis, Senatus, aut supremi Judicis res judicatæ, pro Jure queant adduci. Hincque in territorio Romano, tanta est auctoritas decisionum Rotæ, ut velut pro oraculo habeantur, & Pythagorico *αὐτὸς ἔφα*, æquiparentur. *Speckhan. cent. 2. class. 4. q. 39.*

13. Leges non ita scribi possunt, ut omnes articulos, omnesque casus qui quandoque inciderint, sigillatim comprehendant: eæque ideò, vel interpretatione, aut certè Jurisdictione suppleri debent. *l. 10. 11. 12. 13. d. Legib. Novell. 74. à princ. Aristot. 5. Ethic. cap. 10.* Hocque (ut puto) dicitur respectu; Etiam suis patronis, ipsum jus egere. *Gruter. Florileg. part. 2. fol. 299.*

Singularia cùm sint infinita, sub artem aut præceptionem cadere non possunt: & Leges cumprimis brevitas decet. Ac itaque præter Leges, Legumque sanciendarum notitiam, alia adhûc necessaria est disciplina; ars nempè æqui & boni, quæ Leges interpretetur, easque factis accommodet ritè: naturaliter quippè evenire solet, ut Legibus latis, interpretatio desideretur, Prudentiumque auctoritas necessaria existat. *l. 2. §. 5. & 13. d. O. Iur.*

Et quidem Jurisconsultus ac Judex, ad similia procedunt, scriptumque Legis producunt ad ea, quæ ad utilitatem, h. e. ad æquitatem (ut explicat Muret. *ad d. l. 13.*) tendunt eandem. *l. 12. 13. & 27. d. ll.* Quin & per omnes Dialecticos locos, in obortâ novâ quæstione discurrunt. *Ioh. Mercerus, 1 opin. cap. 5.* Tum demum autem Principis constitutione, certius aliquid definitur; ubi controversi negotii tanta existit difficultas, ut prioribus traditionibus Legum probè definiri non possit. Quâ ratione ad solam spectare dicitur Majestatem, tam condere, quàm Leges interpretari.

Iulr

l. ult. C. d. Legib. l. 5. Cod. de bon. quæ liber. v. Ant. Faber. ad l. 18. ff. d. ll. Sicque Interpretatio Jureconsulti, est Legis explicatio ex arte; quomodò nempè Philosophia sua theoremata enodat. Imperator interpretatur Legem, quæ hoc vel illo in casu, artificialem respuit explicationem. *Winckler. 5. d. princip. Iur. cap. 7. Val. Guil. Forster. l. 1. Interpr. 1. Hunnius tr. d. interpr. Iur. 1. c. 1. & dixi disp. polit. 3. thes. 8. ac suprà ad l. 1. d. Iust. & jur. §. 7. ad fin.* Ad hocque respicit Symmachus, cùm scribit: Nos venerari potiùs, quàm interpretari oracula Divina consuevimus. *10. epist. 45. & vid. ibid. epist. 40. ad finem.*

14. Vis & potestas Legum, cùm plerunque aut major aut alia sit, quàm verba præ se ferunt: eum ideo interiorem sermonem, vim nempè verborum, & scriptoris sententiam si ignoremus; vix est ut Leges scire, h. e. de Lege respondere queamus: si quandò aliquâ opus sit interpretatione. *l. 17. ubi Ant. Fab. d. ll. l. 32. in pr. ad L. Aquil. l. 6. §. 1. de verb. signif.*

Hocque sensu Aristoteles dicit, *1. analyt.* Demonstrationem non esse ad exteriorem referendam sermonem; sed ad eum qui est in animâ, seu ad interiorem. Certè si omnes, qui Legum verba tenent, leges statim scire dicerentur, omnes pueri Romæ olim fuissent JCti: ita enim ediscebant Legem 12. Tab. vt necessarium carmen; quod *2. d. llb.* Cicero ait. Sic etiam Imp. *in l. 9. C. d. ll.* Leges ab omnibus intelligi debere dicit: non omnes vult esse Iurisperitos. *Muret. ad d. l. 17.*

Et verò expeditum si intellectum Constitutio habet, ab eo minimè est recedendum: *l. 91. §. 3. de Verborum Obligatione. l. 12. §. 1. qui & à quib. manumiss. l. 1. §. 20. d. exercit. action.* ea namque præsumitur voluntas, quàm verba præseferunt; undè & propriæ verborum significationi, regulariter & semper est inherendum. Quoties autem verba Legis in controversiam veniunt; quoties dubitamus an casus aliquis, Legis cujusdam factioni sit proportianus; tunc magis quàm verba, ratio est attendenda: *Tiraquell. ad l. 8. C. de revoc. donat. in v. libertis. nu. 47. vid. Steph. de Phederic. tr. d. interp. Leg. part. 1. per discurs.* ex quâ nimirùm Lex, tanquàm ex spiritu vivit. *Zas. ad d. l. 17. num. 2. ll.* Indignum etenim videtur, ut verba Principum & Iureconsultorum, sub regulis Donati re-

strin-

ſtringantur: ne ſc. verborum magis vitia, quàm morum præcaveri, & Leges magis verbis quàm rebus impoſitæ videantur.

15. Cùm ergò Leges, non in ſuperfice & cortice; ſed in ſenſu & radice rationis ſubſiſtant: hinc itidem non is ſolùm contra Legem peccat, qui id facit quod Lex vetat expreſsè: ſed & qui in fraudem Legis perpetrat, quod Lex fieri non vult; quamvis non prohibeat apertè. *l. 29. & ſeq. d. legib. vid. Scip. Amirato, diſcurſ. ad Tacit. libr. 15. cap. 2.*

Non enim convenit Jus civile calumniari, neque verba captare; ſed animadvertere quâ mente quid dicatur. *l penult. ad exhib.* Et Legem ideò defraudat, qui detortis & ſophiſticè captatis verbis, ſententiam circumvenit Legiſlatoris. Iſque graviùs peccat, quàm qui facit apertè contra verba legis. *Anton. Fab. ad d. l. 30.* Quod idem Rhetores tradunt, ubi de ſcripti & voluntatis quæſtione, de circumſcriptionibuſque tractant. *Cujac. 13. obſerv. 24. & ſeq.* Et hinc Iureconſultorum noſtrorum enunciata exurgunt: Cùm quid alicui unâ viâ prohibetur, ad id aliâ non debere admitti. *c. 84. d. R. I. in 6.* Ex conſequenti omne id prohiberi, quo poſito ſubſequitur illud. *c. 39. t. eod.* Sicque cùm Fœnerator quo Macedoniani eludat prohibitionem, non pecuniam, de quâ diſertè conceptum eſt SCtum; *l. 1. de SC. Macedon.* ſed oleum aut triticum filiofam. credit, ut indè redigat & conflet ſibi numos; æquè incurrit illam ſanctionem. *l. 7. §. 3. d. t.*

Legi verò pluribus modis fraudem fieri poſſe, Zaſ. & Muretus notant: *ad. d. l. 30. h. tit.* Illud minùs obvium eſt quod Doctores notant, Legi mox futuræ, fieri quoque interdùm fraudem; cujus rei exemplum elegans ſuppeditat Cicero, *3. offic.* T. Claudius, ædes quas in Cælio monte habebat demoliri juſſus, proſcripſit. Emit P. Calpurnius Lanarius: Calpurnius cùm eas demolitus eſſet, cognoviſſetque Claudium ædes propterea proſcripſiſſe; ad arbitrum illum adegit. M. Cato judex pronunciavit, cùm in vendendo eam rem ſciviſſet & non nunciaſſet emptori, damnum præſtare oportere.

16. Sed tamen & hoc eſt ſciendum: non omnium in jure rationem reddi poſſe. *l. 20. d. ll.* (ad quam elegantiſſimam ſcripſit diſput. Clariſſimus Hortlederus,) Et ideò multa ſubverterentur,

ſi ratio ſemper indagaretur. *l. 21. d. t. vid. Sebaſt. Medicis. de Statut & legib. part. 3. quaſt. 9.*

At ais, rationem eſſe animam Legis, & item rationabile legum indagandum, ex eoque ad ſimilia procedendum, omiſſumq; ſupplendum eſſe: *ut jam dictum eſt ſuprà, §. 14.* Varii ſunt Interpretes in hoc obice removendo. Quidam dicunt, omnium rationem eſſe; at non omnium reddi à nobis poſſe: alii fatentur, ſe non intelligere *d. l. 20.* enunciatum. *vid. gloſſ. & Zaſ. h. Donell. 1. com. 13. vbi Hillig. lit. I. Aruma. diſp. ad ll. pracip. 1. theſ. 7. Iuſt. Meier. diſp. ſing. ad lib. 1. ff. theſ. 88. & ſeq.* Mihi ita videtur. Jus duplex eſt, Legitimum & Naturale, illud ab initio nihil differt, ſic an aliter conſtituatur; ſed tum demum valet, cùm eſt conſtitutum. *5. Ethic. cap. 7.* Ergò eorum quæ Juris conditores, rationi naturæ ſervientes ſanciverunt, non poteſt non facilè ratio eſſe perſpecta; quæ verò ex merâ Juris civilis ratione cõſtituta leguntur, rationem interdùm habent obſcuram: eò quòd hìc voluntas condentis eſt pro ratione. *Cujac. 8. obſerv. cap. 12. Henr. Gebbardi, de Princip. Iur. concl. 22. n. 13. & ſeqq. adde l. 39. d. ll.* Hæc eſt enim cauſſa majoris patris Iuris poſitivi, ut in judicando quid ſequamur habeamus; quanquàm id quod ſequimur, altero haut æquabilius exiſtat. *Ant. Faber, in rational. ad. d. l. 21.* Proindè in his quæ certò ſunt definita, ratio non eſt anxiè quærenda. *d. l. 21. ibi: ex his quæ certa ſunt.* Hucque pertinet, quod traditur vulgò per manus; eorum quæ pendent à liberâ Principis poteſtate, neminem rationem reddere teneri. *Bernh. Vrſinus. tr. d. reconvent. c. 27. n. 35.* Verùm enimverò, ſcire an Lex apertâ & firmâ ratione, vel ſolâ voluntate Legiſlatoris nitatur, ideò neceſſarium reputatur; quia tantùm ea Lex manifeſtam quæ habet rationem, ad conſequentias eſt producenda. *l. 12. ibi: ſententia eorum manifeſta. & d. l. 39. d. llb.*

17. Incivile, h. e. indecorum, aut iniquum & alienum eſt à jure, niſi totâ Lege perſpectâ, judicare vel reſpondere. *l. 24. d. ll. Rodulph. Forner. 3. rer. quotid. cap. 13. Vultejus diſcept. Scholaſticarum cap. 13.*

Quemadmodùm enim, ſi avulſum ſtatuæ caput, aut membrum aliquod inſpicias, non poſſis ex illo congruentiam æqualitatemque deprehendere; ut Plinius *2. epiſt. 5.* ait. Sic qui Legis ali-

cujus unam duntaxat arripuerit partem, veram ejus sententiam plerunque vix assequetur. Hincque Pythagorici, quinquennii silentium suis discipulis imposuerunt: quòd nempe turpe videatur, tyronem de Magistrorum judicare traditione.

Ex quo eruunt nostri Doctores; quòd is qui statutum in judicio allegat, totum producere teneatur: cùm fieri queat, ut per finem, principium vel limitetur, vel aliquo modo illustretur. *Sebast. Medices. d. ll. & statut. part. 2. quæst. 11.*

18. In Legum interpretatione (de quâ Stephanus de Phederic. Guil. Val. Forsterus, & Helfric. Ulric. Hunnius, *tract singularib.* pluribus agunt) sequentes cùm primis regulæ sunt observandæ.

19. Ubi in Lege ambigui est nihil, tamen in eâ interpretandâ, benigniores esse debemus. *l. 18. d. lib. l. 56. l. 168. de Regul. Jur.*

In Principe enim semper bonitas & clementia est præsumenda: ideoque pariter & eorum verba ac facta sicque etiam Leges ita convenit explicare, ut jugiter mentem Legislatoris conservemus. *l. 96. d. Regul. Iur.* Hincque Beneficium à Principe concessum, quàm latissimè interpretandum esse dicunt. *l. 3. ff. d. Constit. Princip.* Ad Principis enim pertinet Majestatem, ut quàm liberalissimus existimetur: sordidumque reputatur à Principe aliquid concedi, & posteà inanibus cavillis speratam gratiam, vel ex parte eludi. Indeque rescribit Justinianus, *in l. ult. §. 1. C. de Præpos. agent. in rebus. lib. 12.* temerarium esse Principis liberalitatem convertere non ad augmentum, sed diminutionem. Quod tamen ita exaudimus, quatenùs respicit jus concedentis. Si enim jus tertii concernat, strictissima interpretatio est facienda. Ad alienam namque injuriam, Principum beneficia porrigi haut decet *l. 40. d. adm. & peric. tut. l. 28. d. test. milit.* Et indè, quoties aliquid in publico Princeps fieri permittit, id ita concedere solet, ut sine cujusquàm injuriâ fiat. *l. 12. §. 10. & §. 16. ff. ne quid in loco publ.* Hincque tradunt nostri Doctores: Privilegia strictè esse interpretanda, quatenùs non jus spectant concedentis, sed tertium aliquem concernunt. Ut quoque si contra jus scriptum emanârit constitutio personalis, angustioris ea est explicationis. *Pacius 1. [illegible] quæst. 10. Zas. in parat. hic, n. 11.*

20. Ubi autem Legis ambigua vox existit, potestque in diversas sententias trahi; ea accipienda significatio erit, quæ vitio caret, *l. 19. d. lib. l. 200. d. R. J. l. 5. C. d. bon. quæ lib.*

Hoc est, quæ magis æquitati, jurique convenit Naturæ, & ex quâ non aliquod inconveniens subsequatur; præsumptæ menti Legislatoris quod incongruum esse possit.

21. Quæ salubriter pro utilitate hominum introducuntur, ea nos duriore interpretatione, contra ipsorum commodum, non ad severitatem producere debemus. *l. 25. ff. l. 6. Cod. d. ll. c. quod ob gratiam. 61. d. Reg. Iur. in 6. Zas. ad d. l. 25. Pacius 1. ἐναντιοφανῶν. quæst. 12.*

Non sunt enim actus hominum interpretandi, ut operentur id, quod intentioni agentium contrarium existit. Sic imperium & ratio imperandi, fruendæ Justitiæ caussâ, sicque pro utilitate communi salubriter cùm sint introducta; *Herodot. lib. 1.* contra commodum subditorum, ad severitatem, tyrannidem ac privatam Principis utilitatem, ex quâdam subtili juris ratione, ea producere non licet. Sic pactio inita dolo, valet, eam si deceptus velit servare. *l. 30. Cod. d. transact.* Sic minor potest caussæ victoriam obtinere, etiam per Procuratorem minùs legitimè constitutum. *l. 14. C. d. procurat.*

22. Quod verò contra rationem juris, singulariter est introductum, ad consequentiam producere non licet. *l. 14. 15. 16. d. ll. L. 141. in princip. d. Reg. Iur. c. quæ à jure. 28. d. R. I. in 6.*

Jus singulare denominatur, quod Lex aut Princeps, certis personis ex favore singulari indulsit. Hocque Jus singulare, postea privilegium dictum fuit: *l. 2. & tot. tit. d. privileg. credit.* undè qui eo nituntur, Privilegiarii indigitantur, *in l. 3. quod cum eo qui in alien. potest.* licet propriè si loqui velimus, nonnulla discrepantia sit inter Privilegium & Jus singulare. *Cujac. 15. observat. cap. 8. & vid. supr. §. 4.*

Sanè in Jure singulari, sequi non possumus Regulas illas, secundum quas aliàs, Leges generales & communes interpretamur; easque ad caussas extendimus similes. *Donell. 1. com. 14.* Est quippè hoc Jus singulare, exceptio à jure communi, regulam in casibus non exceptis confirmans. Et sic semper obstat Jus regulare.

lare, quò minùs ea quæ contra Juris generalem rationem ſunt conſtituta, extra ſuum caſum porrigi queant. Indè reſtitutio, & beneficium SCti Vellejani, ſenibus & ruſticis denegantur; licet fortè quidam ruſtici imperitiores, magiſque lubrici conſilii eſſe poſſint, quàm fœminæ vel minores. (Alia exempla habet Muret. *ad d. l. 14.*) Namque jus ſingulare ut inducatur, non evidens æquitas & utilitas quæ id ſuadeat induci, ſufficiens cenſetur: ſed prætereà neceſſaria eſt auctoritas; ut nempè quis habeat jus inducendi. *Ant. Faber in rational. ad d. l. 16.*

23. Pariter, quod non ratione introductum, ſed errore primùm, dein conſuetudine eſt obtentum, non in ſimilibus obtinet aliis. *l. 39. d. ll.* Hâcque notâ à jure differt rationali; quòd ſtrictiſſimæ omninò ſit interpretationis, nec debeat in conſequentiam trahi.

An error jus facere queat, variè à Doctoribus noſtris diſputatur. *vid. Hackelm. ill. 1 theſ. 9. c. Petr. Perennon. 1. animadverſ. 18. Lyclamam, 1. membr. c. 6. & 7. Bronchorſt. 1. ἐναντιοφ. aſſert. 12. ac comm. Dd. ad l. Barbarius. d. offic. Prætor.* Et quamvis Guibertus Coſtanus, *1. quæſt. jur. cap. ult. num. 8. &* Hilligerus, *ad Donell 1. c. 5. a.* valdè abſurdum eſſe dicant, ut jus quod ſemper æquum & bonum eſſe debet, ex erroribus gignatur: ſed tamen quod errore primùm introductum, & uſu poſteà ac conſuetudine eſt firmatum, valere debet. *per d. l. 39. d. ll.* Tum enim magis eſt, ut conſtet auctoritas Legum; quàm ut prætextu cujuſdam erroris, Jus diutinè uſurpatum, pro nullo habeatur.

Nec accedere poſſum Ant. Fabri opinioni, qui, *ibi in rational.* ait; non jus facere hujuſmodi errorem, nec in caſibus in ſpecie ſimilibus, qui poſt compertum errorem contingunt, obtinere; quæ autem anteà ſunt obſervata, haud revocari. Non quia error faciat jus, ſed propter publicam utilitatem, quâ multa quæ f ɩcta ſunt durant, quæ tamen fieri prohibentur. Verùm *in aliis ſimilibus non obtinere*; haud eſt in caſibus omninò paribus, non juris vicem ſuſtinere: ſed non pertendere ad alios caſus, legibus haut expreſſos. *arg. l. 12. & ſeqq. d. llb.* Similia namque dicuntur, cùm utrinque eadem æquitas exiſtit; & exindè argumentum à ſimili duci ſolet. Simile non eſt idem: & quorum ſubſtantia non diverſa, illa eadem; quorum qualitas eſt una, ſimilia dicuntur.

V 3 14. Si

24. Si Lex in præteritum quid indulget, in futurum vetare videtur; quamvis id expresse non dicat. *l. 22. d. legib.* Contrariorum namque contrariæ consequentiæ existunt; & quod propositum in proposito, oppositum in opposito operatur. *l. ultim. §. ult. d. legat. 3.*

Sicque data indulgentia abolendi accusationem, sine calumniæ delicto; tantùm de institutis, non posteà instituendis accusationibus intelligi debet. *l. 2. C. d. general. abolit.* Non autem præter rationem verbo *indulget*, hîc utitur Jureconsultus: pertinet enim indulgentia tantùm ad ea, quæ prohibita vult Legislator, nisi quatenùs indulget. Ergò indulgentia ad præteritum tempus restricta, tacitam includit prohibitionem in futurum. *Ant. Faber ad d. l. 22.* Nempè dispensatio quævis, tanquàm contraria ordinario Juri, strictè est interpretanda.

Et faciunt ex hoc Interpretes Regulam generalem: Quòd Lex, ubicunque respicit præterita facta, non extendatur ad futura. Quamvis aliàs Lex, vel Statutum novum, regulariter non ad præteritos, sed ad futuros trahatur casus. *l. 7. C. d. llb. Hondeda. consult. 16. num. 15. & 16. vol. 1.* Hincque novæ Legis gravior pœna ad commissa priùs delicta porrigi nequit. *contra Connan. 1. com. 9. num. 10. per L. 1. in pr. d. pœn.* Veruntamen Leges declaratoriæ, ad illa quoque dirimenda se se extendunt, quæ antè eas sunt facta: ut de Legibus Tauri, notat Ludov. Molina, *d. Majorat. tractat. 2. disputat. 627.*

25. Minimè sunt mutanda, quæ interpretationem certam semper habuerunt. *l. 23. d. ll.* Et in rebus novis constituendis, evidens esse utilitas debet, ut recedatur ab eo jure, quod diù visum est æquum. *l. 2. d. const. Princip.*

Omnis mutatio in Rep. est periculosa, sed perniciosissima Legum. Sunt namque Leges, columnæ & fulcra Rerumpublicarum. Ità abhorruit ab omni novitate Plato, ut ne Musicorum quidem modos, sine gravissimo periculo mutari in Rep. censuerit posse: id quod ab eo, *4. d. Rep.* copiosè disputatur. Quòd si hoc in illis Musicorum νόμοις, qui ad solam propè voluptatem comparantur, tam severè observandum reputavit, quantò magis in his, quibus tota Resp. continetur? Quâ de re in politicis erit dispicien-

ſpiciendum. *Et v. Canonhiero, in politic. 8. c. 3. ac dixi ego diſput. polit. 2. theſ. 38. claſſ. 2.* Quin & prudentiſſimus Boccalini, *1. d. ragguagl. d. Parnaſ. cap. 41. fol. 187.* nec intempeſtivè malos mores emendandos eſſe monet: quod hodè multi haut perpendentes, jugi reformatione, Syſiphi volunt ſaxum.

Sed axioma noſtrum principale, & hoc evincit: Non eſſe permittendum hominibus aliquo acumine Ingenii fretis, ut pro lubidine ſuâ Leges in alium, quàm quo ſemper acceptę, detorqueant ſenſum, labefactentque multorum ſeculorum conſenſu firmatas Interpretationes. *Muret. ad d. L. 23.* Qod omnem eorum ſubtilitatem proſcribit, qui contra ipſum Juſtinianum & Tribonianum inſurgere audent; & magnam partem Juriſprudentiæ, quę nunc neſcio quo fato in Scholis imperitat, eliminare videtur. Aliud eſt Leges corrigere, aliud interpretari; aliud explicare, aliud abrogare.

26. Conſtitutio poſterior derogat priori, ſi illi adverſetur: etiamſi de eâ non faciat mentionem. *l. 28. d. ll. l. ult. de conſtitut. Princ. c. 1. d. conſtit. in 6.*

In omnibus enim, in noſtrâ quæ ſunt poſita voluntate, noviſſima tollunt priora: quod & ideò in Legibus, quæ in poteſtate ejus ſunt ſitæ qui habet Majeſtatem, recipi decet. Undè hanc in XII. Tabulis Legem, M. Fabius Interrex, apud Livium, *lib. 7.* ſcriptam fuiſſe atteſtatur: ut quodcunque poſtremum populus juſſiſſet, id jus ratumque eſſet.

27. Sin vero contrariæ non exiſtant, tam Leges antiquiores quàm novæ, vigoris ejuſdem, & uno eodemque tempore latæ cenſentur. Et proindè vis Legis prioris ad poſteriorem; & contrà poſterioris ad antiquiorem accommodatur: *l. 26. 27. & 28. d. ll.* hoc eſt, novæ Leges æquè determinantur per priores, ac veteres interpretationem accipiunt à novis.

Una enim pertinet & trahitur ad aliam, indeque fit, ut quaſi una ex duabus efficiatur: ità ut nihil primum, nihil poſtremum, ſed omnia uno eodemque tempore ſcripta eſſe videantur. *Donell. 1. com. 13. Ant. Fab. ad d. l. 28.* Hinc Lex poſterior generalis, præcedentem ſpecialem non tollit; ſed ſpecies antiquioris ex noviori excepta videtur. *l. 41. d. pæn.* Species etenim & genus, & quoque exce-

exceptio ac regula, contraria non censentur. Et quòd dicitur, nullum infirmius esse argumentum, quàm quod ex generalibus verbis, ad particularem Legum sumitur correctionem: *Fachine. 5. controv. 94.* id locum etiam obtinere debet, cùm Leges non simul, sed successivè sancitæ inveniuntur.

28. Et hactenùs de Jure scripto: succedit nunc inspectio Juris quod moribus est constitutum; & quod tamen non minorem quam scriptum Jus habet auctoritatem. *l. 32. 33. 34. 35. & 36. d. ll. §. 9. Inst. d. jur. nat. Timæus Faber. disput. 2. ad inst. thes. ult.* Hincque Feudales Consuetudines, haut perperam Juris nostri Systemati inseruntur. *v. Arumæ. disp. Feud. 1. thes. 2. & seq.*

Propterea perindè punitur Consuetudinis contemptor, ac Legis transgressor. *c. in his. dist. 11.* Et ideò Delegatus cum Clausulâ, ut secundum jus debeat judicare; poterit debebitque statuta & consuetudines sequi. *Panorm. in c. cum nobis. in 10 notab. ext. d. Elect. Roch. Curt. in præf. t. d. consuet. num. 37.* Quin & pœnam mitigandam esse ajunt, in eo qui sequitur consuetudinem pravam. *Grava. 2. concl. 8. consid. 1. Hackelm. disp. ill. thes. 12.*

Nec solùm consuetudo vim habet Legis: sed & multò magis Legem interpretatur; cùmque verba Legis ambigua sunt, inspicimus quomodò retrò fuerint intellecta, atque interpretata. *l. 37. & seq. d. ll. Pacius 1. ἐναντιοφ. quæst. 15.* Quia quamvis ea non sit Lex scripta: nil tamen vetat, Legis scriptæ interpretationem esse non scriptam. Ac si paucis Iuris peritis, cùm de sententiâ Legis disceptatur, fidem habemus; cur quæso, non multò magis, Civium omnium morem, & consuetudinem ab universis approbatam, Legis voluntatem rebus ipsis atque factis interpretantem, justam & optimam Legum explicatricem æstimaremus? Hincque usurpantia, regina deprædicatur omnium interpretationum.

Consuetudo omnium rerum domina dicitur, & maxumè verborum. *Connan. 6. comment. cap. 3.* Et ideò pariter in tacitis ac ambiguis coventionibus, optima ex Consuetudine explicatio deduci solet. Quamobrem si non appareat quid sit actum, id nos sequi debere, quod consuetudine frequentatur, respondet ICtus, *in l. semper in stipulationib. d. Reg. Iur. vid. Cardinal. Mantic. tr. d. tacit. & ambig. convent. lib. 3. tit. 9. per discurs.*

29. An-

29. Anné autem ſicut ante Regiam Legem, ita & hodiè Conſuetudo jus facit? Affirmativa magis placet, *t. tit. C. quæ ſit longa conſuet. Hackelm. 1. ill. theſ. 12. à pr.*

Sanè in *L. 32. & l. 35. d. ll.* quæ pro Conſuetudinis firmitate adferuntur rationes, in ſtatu Monarchico vim ſuam perdunt. *vid. Dn. Harppr. ad §. 6. num. 13. Inſt. d. Iur. nat.* Nempè cùm nec aperto conſenſu Populus ferre Leges amplius hodiè queat: indè videtur in jure noſtro de Conſuetudine tractari, non ſecus ac de Plebiſcitis, Senatuſconſultis, &c: quæ ratione ſo fieri, ex foro Romano receſſerunt. *ut dixi ad l. 7. & 8. §. 1. d. Inſt. & Iur.* Attamen ſufficit tacitus Principis conſenſus, quo patitur conſuetudinem introduci. Et taciti, non ſolùm eadem vis eſt quæ expreſſi; ſed & taciti quædam in eo eſt prærogativa, ut multa tacitè temporiſque ſucceſſu introduci queant, quæ apertè fieri haut permittuntur. Et etiam in Democratiâ, conſtituunt jus conſuetudinarium privati. Non ergò rectè dicit Tiraquellus; *d. Iur. primog. quæſt. 16.* Non poſſe conſuetudinem introduci, niſi ab eo populo, qui auctoritatem juris condendi habet: quod & Bachovius, *ad Treutl. diſp. 1. theſ. 9. lit. d.* approbare videtur.

30. Sed poteſtné Lex à Principe ſcripta, conſuetudine abrogari?

Pugnare hìc videntur Lex 32. *in fin. d. Legib.* & L. 2. *C. quæ ſit long. conſuet.* item tit. 1. *libr. 2. Feud.* Quâ de difficultate videri queunt, Fr. Balduinus, *in ſuo Conſtantino, ad fin.* Lyclama. *1. membr. ecl. 11.* Coraſ. *ad l. 32. d. ll.* P. Faber, *3. ſemeſtr. 22.* Cujac. *5. obſerv. 2.* Dn. Harppr. *§. 9. n. 28. d. jur. natur.* Pacius, *1. quæſt. 14.* Bronchorſt. *1. ἐναντιοφ. 9.* Arumæ. *diſput. ad ll. 1. theſ. 12.* Donell. *1. com. 10. ubi* Hilligerus, *lit. I. K. L.* Hackelm. *1. ill. theſ. 11.* Frideric. Martini, *de cenſibus. cap. 5. num. 54. & ſ.* Andr. Gerhardi, *diſp. ad Inſt. 1. theſ. 9.* Bachov. *ad Treutl. diſp. 1. theſ. 9. lit. f. & g.*

Non ſat cōmodè removent hanc difficultatem qui dicunt: conſuetudinem poſteriorem, vincere & abrogare Legem; Conſuetudinem priorem, à poſteriori vici Lege. Aliud namq; eſt quærere, an jus poſterius tollat prius; aliud indagare, an conſuetudo tollat Legem? Ita ut adhùc dicendū eſſe videatur: quemadmodùm Conſuetudo nunquàm vincit rationem; ita pariter non ullo tempore vincere ſeu abrogare Legem. Cùm in d. l. 2. ratio & Lex æqui-

X parem-

quiparentur, & consuetudinis viribus opponantur. (2) Nil quoquè ad rem facit, quòd alii prætendunt; Auctoritatem Legislatoris, non eatenùs Consuetudine infringi posse, quin isnovâ Lege Consuetudinem tollere queat: cujus rei exemplum extat, in *l. 3. §. Divus. d. sepulchr. violat.* ubi mortui, in Civitate sepeliri prohibentur; etiamsi consuetudo contraria adsit, hoc permittens. Id quippè haut fit ex consuetudinis naturâ; sed vi regulæ notæ & vulgaris: Quòd omne jus positivum posterius, abrogat semper quod est tempore prius. (3) Non audio eos, qui d. L. 2. accipiunt de consuetudine irrationali. Cùm quippè Imperator utatur particulâ adversativâ *(aut)* & dicat; non tantam esse consuetudinis vigorem, ut rationem vincat aut Legem. Adversativè verò posita, non sunt conjunctim accipienda. (4) Aliis ita respondere lubet: Consuetudinem Civitatis, Legem Principis cui subdita est, non abolere; nisi confirmetur. Sed Lex mihi videtur ea consuetudo quæ confirmatur, aut privilegium aliquod speciale potiùs, quàm consuetudo.

Consuetudinem ergò haut puto vincere Legem directè; sed patientiâ Legislatoris, observantiam haut exigentis. Sicque: Lex, quæ non est antiquata, consuetudini præfertur: consuetudo, id est actus contrarii, tandem antiquant Legem. Non tamen invito superiore. *vid. Dn. Rutg. Ruland. decis. jur. controv. 16.*

31. Ad consuetudinem introducendam, Actus requiruntur frequentes: *l. 1. C. quæ sit long. consue. L. 3. C. d. ædific. privat.* & ideò duo vix sufficere possunt; quod tamen placet Mynsi. *6. observ. 41. num. 11. &c.* Gail. *2. observ. 31. num. 6.* & aliis, quos recenset Hilliger. *ad Donell. 1. com. 10. G. vid. Erasm. Ungepaür. exercit. Justin. 1. thes. 16.*

Frequenter enim fieri dicitur, quod sæpius & crebrò, non bis vel ter est factum. *l. 15. §. 22. d. injur.* Ac cùm consuetudine propterea teneamur, quasi populus (quo verbo & Principem includimus, ut populi caput) ipso facto animum suum declarârit: *l. 32. & l. 35. d. ll.* certè ad eam firmandam, actus requiruntur tam crebri, ex quibus verosimile sit, jus hoc in populi notitiam pervenisse. Judicis ideò arbitrio est statuendum, quot actibus populi notitia consensusque comparetur. *Duaren. ad t. d. ll. cap. 11. Connan. 1. com. 10.*

com. 10. n.6. Bronchorst. 1. ἐναντ.8. Dn. Harppr. §.9. n.10. Inst. d. jur. nat. Dn. D. Bocerus. class. 1. disp. 4. thes. 8.

Lex 3. *Cod. d. Episc. audient.* quæ obstare videtur, loquitur de consuetudine & assuefactione hominis unius; non totius alicujus universitatis: ubi ratio est perquàm diversa. *Cujac. 20. observationum. cap. 1.*

Timæus Faber, *disput. ad Inst. 2. thes. 8.* vel ex uno aut etiam altero actu, qui in omnium pervenerit notitiam, assensum ac comprobationem colligi posse, dicit: quod interdum fieri non inficias imus; sed & hoc tamen, judicis arbitrio relinquendum esse videtur.

32. Sed nec ii actus, judiciales necessariò esse debent. *Cujac. 20. observ. cap. 1. Nicol. Betsius tr. d. pact. famil. fol. 418. Caphallos opin. com. contra com. quæst. 358. Dn. D. Harppr. §. 9. num. 13. de jur. nat. Bronchorst. 1. ἐναντιοφανῶν. 10. Aruma. disput. ad ll. præcipuas, th. 11. Hilliger. ad Donell. 1. com. c. 10. lit. H.*

In iis quippè quæ solo introducuntur consensu, non necessaria est præsentia Judicis: *l. 28. Cod. d. transact.* hincque in *l. 38. d. ll.* consuetudo à rebus judicatis separatur. Nec. *l. 1. Cod. quæ sit long. consuet. & l. 34. d. ll.* probare mihi videntur, non nisi actus judiciales ad consuetudinis sufficere probationem: sed id tantùm monere, promptissimè per illos consuetudinem edoceri. Ideoque in consuetudinis probatione, cùm primis dispiciendum esse; an aliquandò illa consuetudo, in contradictorio judicio fuerit firmata. *Coras. ad d. l. 34.* Aliàs sanè rerum judicatarum auctoritatem, haud inducere consuetudinem, sed introductam probare; exindè nemini non apparere potest, quia oportet ut adsit consuetudo, antequàm secundum eam ritè judicetur.

33. Cùm autem consuetudo ferè nunquàm subitò enascatur, sed aliquem temporis requirat decursum; undè passim inveterata, diuturna, longa, & per plurimos annos observata in jure nostro indigitatur: nunc porrò, quot anni ad eam introducendam necessarii sint? restat ut indagemus.

Tanti temporis spatio, diuturnitatem istam circumscribo; quantum in civium animis habitum facere possit: quod æquè Judex prudens æstimabit. *Bronchorst. 1. ἐναντ. 8. Dn. Boner. class. 1. di-*

sputat. 4. thes. 7. & seqq. ut & disput. tractatui d. Monetis junctâ. thes. 3. Guil. Val. Forster. tract. Iustin. disput. 1. thes. 35. Hillig. ad Donell. 1. com. cap. 10. lit. D. &c. Hackelm. 1. illustr. thes. 11. ad fin. vid. Cephall. com. opin. 357. Hincque facilè apparet, plures si sint actus; minus temporis requiri. Et hoc intuitu *ad l. 38. d. ll.* Ant. Faber notat: quantumcunque sufficere tempus, actuum modò pluralitas & uniformitas adsit. *vid. Tim. Fabrum, disp. Inst. 2. thes. 8.*

Quibus addo ex eodem Ant. Fabro, *1. Iurispr. 2. principio 11.* errare eos, qui consuetudinem cum præscriptione jurium confundunt. *(1)* Præscriptio nullum jus acquirit nisi præscribenti, & duntaxat in eos, contra quos præscriptum: Consuetudo parit jus omnibus in universum, & contra omnes. *(2)* Consuetudo ad similes casus extendi solet: *l. 32. in pr. de legib.* præscriptio est strictissimi juris. (3) Consuetudo non præscribitur, sed per actus declaratur Populi consensus. Quamvis hoc non negem; consuetudinem contra Leges superioris, circa res de quibus aliàs disponere & statuere subditis non integrum existit, ferè ex jure præscriptionis, magis quàm Legis valere. *v. c. ult. extr. d. consuetud.* Hocque respectu communiter Dd. longius tempus in consuetudine contra jus introducendâ, requirere videntur.

Donellus. *1. com. c. 10.* & Arumæus, *disput. ad ll. præcipuas, 1. thes. 10.* decennio contenti sunt indistinctè. Alii ex eo, quòd consuetudo inveterata robur habere dicitur, eaque usus longævus indigitatur; immemoriale volunt requiri tempus: cùm vetus factū reputetur, quod à nostrâ memoriâ est remotum; *l. 2. §. 1. d. aquâ pluv. arcend.* & longævum spatium, de centum annis sumatur. *l. 56. d. usufr.* Sed longum & diuturnum tempus, non uniformiter in jure nostro cùm accipiatur; eoque haut raro quadraginta anni significentur; eorum sententiam approbare non possum.

34. Probabilis ratio, ad consuetudinem introducendam necessaria reputatur: h. e. quæ non omninò & manifestè refragatur Divino, seu Naturali Juri. *cap. ult. ext. d. consuet. Roch. d. Curt. in cap. cum tanto. d. consuet. sect. 2. num. 20. &c. Gail. 2. observ. 31. num. 11. &c. Vasqui. d. success. creat. libr. 1. §. 2. numer. 7. Hieron. Cavallos. quæst. 359. Dn. D. Harppr. ad §. 9. nu. 3. Inst. d. jur. nat.*

Ac si

Ac si hâc de re inciderit dubium, judicis arbitrio res ea committenda erit: *Menoch. arbitrar. casu 82. Gail. d. observ. 31. num. 13.* qui gradus irrationabilitatis (de quibus Bachovius, *ad disp. Treutl. 1. thes. 9. lit. b.*) probè observabit.

35. Si jus scriptum, & etiam consuetudo in aliquo deficiat loco; tum jus quo urbs Roma utitur, servari oportet, *l. 32. d. ll. Bruningus, disp. d. Universit. thes. 52.*

Hodiè Romana non attenditur consuetudo: cùm Imperium pertineat ad Germanos; & Urbs impleta sit Curtisanis nebulonibus, ut ait Zas. *ad d. l. 32. num. 6.* Ex hoc tamen Interpretes deducunt: generaliter quandò membra non habent Legem, perveniendum esse ad caput, & consuetudinem Urbis Metropolitanæ. *Nicol. Losæus d. jur. universit. part. 3. cap. 14. Sebast. Medicis. part. 4. quæst. 10.*

36. Vela dissertationis nostræ contrahentibus, elegans hæc quæstio occurrit: An leges humanæ violatæ, Conscientiam ligent?

Eas autem regulariter in foro animæ obligare, si modò non sint iniquæ, & latæ si sint ab habente potestatem Leges ferendi, affirmant Dd. plerique. *Bart. in l. si quis pro eo. ff. de fidejuss. Dominic. Sotus, libr. 1. de Iust. & jur. quæst. 6. artic. 4. Hosque & alios plures citans Fer. Vasq. lib. 1. controv. c. 29.* Christian. Matthias Dithmars. *Disput. Politic. 4. Disquis. 3. pag. 103. & seq.* hoc potissimùm argumento movetur: Quicquid ex lege naturæ provenit, & in contemptum Dei vergit, illud in conscientiâ hominis scrupulum gignit. Atqui Leges humanæ; ex Lege naturali plerunque derivantur. Et Legum etiam merè humanarum violatio, in Divini numinis contemptum vergit. Quia Magistratus ordinatio Dei vocitatur. *Rom. 13.* Hinc & Leges humanæ, veluti Divinam originem habent: secundum illud; *Prov. 8.* per me Reges regnant, & Legum conditores justa decernunt. Ergò Leges humanæ quoquè, conscientiam obstringunt. Quam sententiam, tanquàm arbitratu meo veriorem, approbare sum conatus, *disput. polit. 1. thes. 32. class. 1.* Quanquàm Calvinus, *lib. 4. Instit. cap. 10.* aliique quàm plures, contrarium defendant. *videri itidem possunt hâc de quæstione, Benedict. Winckler. 5. d. princip. Iur. cap. 10. Iacob. Martini, disputat. d. summo bono, 6. thes. 8.*

quæst 7. Helfr Vlric. Hunnius, 2. d Interpr. cap 1. quæst. 2 Ægid. Strauchius, illustr. quæst. Ethic. part. 2. decad. 5. thes. 4.

Oiconomia Tit. 5. & 6. Libri 1. ff.

1. Omne Jus, quo utimur, vel ad Personas pertinet, vel ad Res, vel Actiones. *l. 1. d. stat. homin. §. ultim. Institut. d. Iur. Natur.*

Non assentiri possum Duareno, qui *Disp. anniv. 1. c. 55.* partitionem hanc, non à JCto allatam esse putat, ut ostendatur; nullam esse Juris tractandi commodiorem rationem, quàm si de his tribus separatim disputetur. Sed quòd nulla pars Juris existat, nullus contractus, negotium nullum, in quo tractandi hi loci simul non incurrant. Hunc enim sensum refutat mox subsequens Hermogeniani responsum; ubi à Personis incipitur tractatio Pandectarum. *v. Osuuald Hilliger. ad Donell. 2. c. 2. A.*

(2) Personæ, res & actiones, Juris partes sunt; non objecta. Quia nihil sui ipsius est objectum; quod esset dicendum, si jura Personarum, rerum &c. ipsius juris objecta statuerentur. Solum hominem, Juris objectum statui à Baldo rectè; *ad rubr d. Instit. & Iur. n. 6.* monet Andr. Gerhardi. *disp. Inst. 1. coroll. 3.* De eo Theologus ut piè, Medicus ut sanè, Jureconsultus ut justè vivat, laborat. Homini tantùm imparari potest, ut justè vivat (quem finem Jus intuetur) & ita is objectivè se habebit ad juris percepta. *Frid. Tileman. part. 1. disput. ff. 3. thes. 1. addatur quoque Volem. Scribon. introd. ad Iurispr. §. 11. fol. 73. &c.*

(3) Alii, commodiore (ut putant) divisione, omne jus quo utimur, vel ad Dominium, vel ad obligationem pertinere dicunt. Verùm nostra hæc divisio, universas Juris partes aptissimè cōplecti videtur. Siquidem Jus omne, vel eò spectat, ut statum, hoc est, conditionem & qualitatem *(vid. Iohan. Mercer. 1. opin. 11.)* doceat Personarum; ac quâ ratione sua cuilibet functio sit distribuenda. Vel ut rerum tàm corporearum, quàm incorporearum acquisitionem, conservationem, amissionemque tractet: (quâ unà parte, duo illa capita, Dominium & Obligatio, continentur. *vid. Harpprecht. in pr. Inst. d. obligat. Reiner. Bachovium, disput. miscell. c. 2. à pr. Valent. Guil. Forster. disput. 2. th. 1 Val. Arithma. peric. 1. disp. 7. thes. 1.* Non enim obligationes referri queunt ad jus personarum:

narum: cùm aliud sit obligatio, aliud id quod obligatur; aliud jus personale, aliud jus personæ.) Vel ut Actiones, h. e. Judiciorum insinuet exercitionem: *Donell 2. com. 7.* tam in Civilibus quàm Criminalibus caussis. *adde Coras. ad l. 1. d. stat. hom. Hillig. 2. com. 8. b.* Et tamen hæ partes, præceptis quæ distinguuntur, usu confunduntur.

(4) Porrò quòd conveniat hæc divisio cum eâ, quæ ex Ulp. refertur *in l. ult d. legib.* edocet Wesembec. *in parat. d. legib. n. 6. Donell. 2. com. 2. ubi vid. Hillig. Gœdda. in proleg. erotemat. Inst. Conrad. Wolffii præfixis.* Nempè hæc formalem respicit caussam; illa materiam, h. e. subjectum continet, circa quod jus versatur. De cæteris, quę thesi nostræ objiciuntur, consulatur Ernest. Cothman. *disp. Jur. Civil. 2. th. 1.* Iohan Stuck. *dec. 1. asser. 8. a.*

2. Summa de jure Personarum divisio hæc est; quòd omnes homines, aut Liberi sunt, aut servi. Liberi, vel Ingenui, vel Libertini. *l. 3. & 5. d. stat. hom. l. 4. d. Iust. & Iur.*

Statu liberos, Servis adnumeramus, auctoritate textuum quamplurimorum. Sanè in *l. 29. in princ. d. statu liber.* respondetur: statu liberos à cæteris servis nostris, nihilò penè differre; & ideò in publicis quoquè judiciis, easdem pœnas pati, quas cæteri servi. Cui expresse contradicit l. 14. *d. quæst. & l. 9. in fin. d. pœn.* ubi habetur; Statu liberum in delicto repertum, sperandæ libertatis prærogativâ, non ut servum, sed ut liberum puniendum. Varii, hic varia comminiscuntur. *vid. Leop. Hackelm. 1. illustr. thes. 14. Bachovium. ad disputat. Treutl. 2. thes. 2. lit. c. Robert. 1. animad. 6. Arumæ. 1. exerc. 25. & seq.* Ego Legem 29. loqui puto de delicto, quod statu liber adversus heredem à quo Libertatem exspectat, committit; ubi meritò punitur ut servus. Extraneum si offendit; intuitu futuræ libertatis, in mitiorem declinamus partem. Namque in favorem futuræ libertatis est introductum, is ut pœna mitigetur: Ergò id non est adversus eum à quo libertatem exspectat, retorquendum. Quę certè ęquitatis ratio efficere solet, quòd si Libertus offendat Patronum, ut servus puniatur. *Novel. 78. c. 2.* Hæcque conciliatio & P. Perrenonio placuit jam olim. *1. animad. 3.*

(1) In eandem classem & Adscriptitii censiti referendi esse videntur. *l. 7. l. 22. d. Agric. & censit. lib. 11. Codicis.* Dicuntur namque glebæ adscripti; quòd velut glebæ addicti, nunquàm indè discedere-

dere possunt: non autem à specie servientium differre videntur, quibus haut datur facultas recedendi. *L. 2. d. lib. homin. exhib.* Et ii à cæteris servis in eo saltèm differunt, quòd certis locis sunt destinati; & propter utilitatem Reip. ne prædia maneant inculta, separari, vendivè non queunt. *v. Adr. Turneb. 15. animadv. c. 16. Dn. Harpprecht. ad. pr. Inst. d. Iur. person. n. 12 &c. Timæ. Fabr. disp. Inst. 4. thes. 2. in notis. n. 3. Hackelm. 1. illust. th. 14. b. Forster. disp. 2. th. 3. Schifordegher. libr. 3. tr. 26. q. 6. &c. Bachovium. ad. disput. Treutl. 2. thes. 2. lit. d. Vagepaur, exerc. 2. thes. 4.* Ad Novell. *123. c. 17.* Respondet Donell. *2. com. 13.* Et scimus aliàs, multa in Religionis favorem, etiam contra rationem extendi. Singularem quoque habet rationem, cur adscriptitiis assumptio Religionis concedatur; aliis servis denegetur. Potest aliquis esse clericus, & agri culturam nihilominus adimplere: non potest talis esse, & quotidianis ministeriis à Domino prægravari. Verùm adscriptitii censiti, sejungendi sunt à colonis, & adscriptitiis tributariis duntaxat: *l. 18. Cod. d. agricol. Nov. 162. c. 2.* qui servi non sunt. *v. Ioh. Stuck. dec. 1. asser. 8. f. 114.* Vt nec homines proprii: Leibeigene Leuth. *Alex. cons. 245. incip. Quin omne. Hillig. 2. com. 9.* quorum originem malè assignat Conr. Pincier. *tract. d. Iurisd. cap. 3. num. 31. adde. disp. meam. politic. 10. thes. 58. & seqq. class. 1.*

(3) Servus pro derelicto habitus, dominum quidem non habet: sed nihilominùs est servus. *arg. l. patre. 8. d. his qui sui vel alien. Iur.* & primùm occupanti cedit. *v. l. 2. Qui sine manumiss. ad libert. perven.* Servi pœnæ, Remp. ejusque Proceres pro Dominis habent. *Stuckius, decad. 1. assert. 8. c. v. Dn. Harpprecht. ad. §. 2. num. 3. &c. d. Iur. personar.*

3. Servi, à servando sunt dicti: quòd hi, qui jure belli possent occidi, à victoribus conservabantur (sicque non à serviendo servus; sed potiùs à servo, servire descendit) Eorumque una conditio existit. *l. 4. & 5. d. stat. hom. l. pupillus. §. 1. d. V. S.*

Mancipia sic sunt dicta, quòd ab hostibus manu capiantur. Dis. *Laur. Valla. 5. eleg. 34.* Undè & Mancipi res, antiquitas nominavit, quæ manu captibiles, alienari potuerunt: *v. Coras. in l. 4. ad fin. d. stat. hom.* vel quæ ita essent possessoris, ac si manu eas cepisset. Proindè is, qui rem non mancipio vendebat, evictionis periculum in se haut recipiebat: quod Plautus me docet, *in Persa*:

Ac sue

Ac suo peri . . . emat quæ.un mercabitur:
Mancipio neque promittet, neque quisquam dabit.

Et paulo post:

Nisi mancipio accipio, quid eo mihi opus mercimonio.

Res non mancipi erant, quæ non poterant mancipio dari. Cujusmodi existebant omnia Provincialia prædia, ante Justinianum: nam cùm tributaria, vel stipendiaria essent, usus duntaxat Provincialium erat, proprietas Populi: *t. t. C. d. usucap. tran form. &c.* quorum imaginem apud nos referunt die Schupfechen. Hæc consideratio lucem adfert l. si fundus. *33. ff. locat.* l. 15. §. 2. *d. rei vind.* l. 11. *d. evict.* quarum sinistra explicatio, etiam in Jure publico absonas multas peperit opiniones. *v. Gaspar. Schifordeg. Libr. 2. tract. 18 quæst. 3. David' Argentè, Notar. Iur. Civil. fol. 202. &c. Frid. Tileman. disp. ff. 13 thes. 20. vol. 1.*

(2) Quamvis status ratione, una sit conditio servorum; eò, quòd omnes eodem Jure heri dominio ac potestati sint subjecti; variæ tamen inveniuntur conditiones eorundem, ratione ministeriorum. *v. Alex. ab Alexandr. 3. Genial. 25. Iohan. Mercer. 1. opin. cap. 9. ad fin. Iulium. Pacium, 1. ἐναντ. q. 22. Hillig. 2. com. 9. ad fin. & accuratè de his differentem Laur. Pignorium, comment. d. servis, per discurs.*

4. Servi in dominium nostrum rediguntur; aut Civili, aut Gentium jure. *l. 5. § 1. d. stat. hom. Pacius 1. ἐναντ. 20.*

Logicis duplex est genus; perfectius, & ὁμώνυμον, seu minùs perfectum: quod non æqualiter speciebus communicatur. Sic & hic Servitus à Jure gentium introducta, duplices servos habet; captos & natos. *d. l. 5. §. 1. d. stat. hom.* Hisce longè pòst, plures superaddidit species Jus Civile: voluntariam nempè servitutem; *Radul. Forner. 4. quotid. c. 3.* & alias, quas enumerant Donell 2. *comm. 9.* Mercer. 1. *opin. 9.* (2) Quamvis voluntariam illam servitutem, à Marciano *in d. l. 5. §. 1.* minus rectè Juri Civili assignari putarem. Hos enim Servos, Lex Mosaica agnoscit: & Germanos aleæ jactu, etiam de libertate contendere, Tacitus refert.

(3) At ais, nemo nudâ voluntate fit Servus, & nec professione, aut conventione suâ: l. 10. *l. 22 l. 37. l. 39. Cod. d. liberal. caus.* quia sui ipsius nemo dominus reputatur. l. 13. *ad l. Aquil.* Verùm non nuda voluntas semet vendentis, caussa est Libertatis amittendæ. Sed Seruus fit ex Legis potestate, in pœnam improbi facti. *Anthonius*

thonius Fab. in rational. ad sæpè d. l. 5. §. 1. Cothman. disputat. 2. thes. 1. à princ. Hillig. 2. cap. 9. Adeò, ut nec minoribus (quod non injuriâ *in not. ad illam l. 5.* miratur Gothofredus) restitutio concedebatur. *vid. hac de re plura, apud Dn. D. Harpprecht. in §. 4. d. Iur. Person.* Quæ omnia, tanquàm nimis dura, Leo Imp. abrogavit. *Novell. 59.* (4) Porrò liber qui se vendidit, manumissus non ad suum revertebatur statum, quo se abdicârat: sed libertinæ efficiebatur conditionis. *l. 21. d. stat. hom.* Etenim qui semel legitimè factus fuit servus; in eâ est conditione, ac si servus fuisset natus. Nec impedit. *§. ult. Instit. d. Ingenuis.* Aliud namque est verè servum, aliud in servitute esse: id est, pro servo haberi & possideri. Jus illud, hoc denotat factum. Servitus ex sui ipsius proveniens venditione, pro justâ habebatur servitute. Ergò & talis servi manumissio, eum fecit libertum. *arg. l. 6. d. stat. hom. vid. Pacium, 1. ἐναντιοφ. quæst. 25. Hillig. 2. com. 11.*

5. Servi in jure nostro, pro nullis habentur. *l. 32. d. Reg. Iur.* Nulla fit injuria servis; sed Dominis per servos fieri videtur. *§. servus. institut. d. injur.*

Non obstat *l. 2. de his qui sui vel al. jur.* Sciendum enim, non in servi personam talem injuriam cadere posse, quæ ipsi ullo modo actionem pariat injuriarum (in quibus terminis accipiendus est *d. §. servus*) Et servo tamen, infamis vel intolerabilis injuria si inferatur; partes sunt Præsidis, ut prompto auxilio ex officio succurrat. *aliter hac Pacius, 1. quæst. 30. enodat.*

6. Libertini vocantur, qui ex justâ servitute sunt manumissi. *l. 6. d. stat. hom.*

Quamvis res facilè ad suam redeat naturam; manumissio tamen ingenuum non facit: eò quòd statum quidem tollat, non memoriam servitutis. *Anthon. Fab. ad d. §. 5.* scil. propter Jus Patronatus: & quòd ingrati Liberti, in servitutem rapi queant, aliisque adhùc in locis, deterioris, quàm verè ingenui sint conditions. *l. 2. C. d. libert. & eor. liber. v. Nov. 78. c. 2. Guil. Val. Forster. disput. Inst. 2. th. 6. adde Cothman. dispùt. 3. coron. 2.* (2) Justâ hic servitute, veram & secundum Leges contingentem designari puto (Et itaque Mercerius errare videtur, *libro 1. opinion. c. 10.* qui ea verba, *ex justâ servitute*, interpretatur, quasi in pretium justæ servitutis manumissio

fiat)

fiat) ut intelligamus, eum, qui à latronibus captus manumittitur, haut ideò effici libertinum; cùm nempè servitus haut fuerit justa. *l. hostes ff. d. captiv. & postlim.* Hocque intuitu dici solet, nil natalibus officere manumissionem. *l. 2. C. d. ingen. & manumiss. vid. Donellum, libro 2. com. cap. 11.*

(1) Si Libertus à Patrono suo adoptetur, eum Libertinum manere Ulp. respondet. *l. ult. d. stat. hom.* Hoc tamen ità est intelligendum, ut in familià arrogantis, ingenui Jura consequatur. *l. 32. d. ritu nupt.* Respectu aliorum privilegiorum, quæ aliàs extra familiam ingenui habent, Libertinus manet. Unde à Senatoris nuptiis repellitur. *d. l. 32. Mercer. 1. opin. 8. ad fin.*

7. Ingenuum accipere debemus etiam eum, de quo sententia est lata, quamvis fuerit libertinus. *l. 25. d. stat. hom. vid. Anton. Fab. 19. conject. 4.*

Veritatis licet potior & antiquior debeat esse caussa; *l. 8. d. stat. hom.* & veritas rerum, erroribus gestorum haut vitietur; *l. 6. §. 1. d. offic. Præs.* ac semper locus supersit veritati *l. 29. d. probat.* Et tamen res judicata pro veritate habetur. *d. l. 25. l. 207. d. R. I. l. pen. supr. d. Iust. & Iur.* Interest namque, rerum Judicatarum salvam esse auctoritatem. *l. 65. §. 2. ad Trebell.* Alioqui nullus foret litium finis, si post sententiam adhûc semper esset locus quærendi de veritate. Et ita ratio superior ac generalior, majorisque impedimenti, vincit inferiorem. Salus nempè publica, jus privati: quod in usucapione, aliisque in caussis, itidem fieri solet. Nec tamen id simpliciter procedit, sed accedente negligentiâ partis: si nempè ea non provocaverit à sententiâ iniquâ; si rem suam diutino usu ab alio permiserit capi.

(2) Porrò ex hisce apparet, plenam non esse ingenuorum definitionem; ut ii sint, qui statim cùm nascuntur, liberi existunt. Undè rectè Joh. Mercerius, *1. opin. 8.* inter natum & factum ingenuum, distinguit. *v. Timæ. Fabr. disp. 4. thes. 5.*

8. Filii quò ad Statum, Matris sequuntur conditionem: & sufficit ei, qui in ventre est, vel medio tempore liberam matrem habuisse. *l. 5. §. 1. & seqq. l. 18. d. stat. hom.*

Et hinc per damnationem serva pœnæ effecta, liberum parit. *l. 18. d. stat. hom.* Nec hoc, ut Corasius *ibi* putat, ex singulari fit

ratione: sed per regulam positam *in d. l. 5.* libera namque fuit mater tempore conceptionis. Et quia quoties tractatur de utilitate partus, conceptus habetur pro jam nato: sicque est, ac si ante damnationem peperisset. Et ita in specie *l. 22. d. stat. homin.* licet manumissio haut intercesserit, tamen constitutio factum hominis repræsentat. Non enim afficit filium servitus matris, quæ antequàm ille nasceretur, libera esse debuisset.

(2) Cur filius matris sequitur statum; cùm tamen familiam patris sequatur? *l. pen. d. agnosc. liber.* Resp. Factum hoc, ut regulam haberemus, quæ comprehenderet etiam incerto natos patre, *l. 19. d. stat. hom. vid. Vugepaur. exerc. 2. thes. 6.* Nuptiis factis, Patrem Liberi sequuntur: *d. l. 19. d. stat. hom.* quòd non solùm de familiâ, sed & de statu est accipiendum; posita enim est *d. l. 19. sub tit. de stat. hom.* Aliud Donellus sentit, *lib. 2. com. cap. 10. ubi vide Hillig. F. & G. ac Cothman. disput. 2. in coron. 1.* At confert huc *l. 7. Cod. d. rei vindic.* ubi Philippus Imp. rescribit: Partum ancillæ matris sequi conditionem, nec statum patris in hâc specie considerari. Ergò, à contrario sensu, aliud erit in aliis speciebus. Cui quoquè accedit *l. 26. ibi: Patris vel matris conditionem. d. statu. homin.* Tum demum autem, cùm pater est incertus, vel non legitimus; ex naturæ necessitate matris sequitur conditionem, cui non est pater. *l. 24. d. tit. l. 1. ff. ad Municipal.*

Porrò ex hisce apparet, filios ignobilis patris ignobiles esse; licet nobilis fuerit mater. Et solos Caunios, hoc sibi habere peculiare Herodotus scribit, in *Clio.* ut à matribus sibi induant nomen: quod sanè ad certitudinem familiæ confert.

(3) Quòd respondetur in d. l. 5. sufficere vel nativitatis, vel conceptionis tempore liberam esse, ut partus ingenuus dicatur; hoc & ad similes valet inspectiones. *v. Costal. h.* Sicque conceptus ex stupro, natus in matrimonio, legitimus est, nec aliâ indiget legitimatione: *l. 11. ad fin. C. d. natural. liber. Gothofr. ad Novell. 74. lit. r.* quemadmodùm ex matre liberâ nati, quæ servitutem serviebat tempore conceptionis simul cum libertate respiciunt Solem. *l. cùm inter: C. d. fideicom. libert.* Proindè illi in Feudum succedunt: licet eo in loco versaremur, ubi statuto per subsequens matrimonium legitimati excluderentur.

(4) Porrò ex d. l. 5. §. 3. sequi videtur, Fœminam civitate pulsam

pulsam perdere libertatem; quod juris rationi repugnat. *vid. Govean. 2. var. 11. Revard. 5. var. 15.*

9. Is, qui est in utero, habetur pro jam nato, quoties agitur de ejus commodo atque utilitate. *l. 7. l. 26. d stat. hom. l. 7. §. 1. d. Senator. Speckhan.* 1. *quæst.* 74.

Obstare videtur *l. ult. de collat.* Ubi dicitur; non conferri ei qui est in utero sed jam nato. Sciendum ergò, eum qui est in utero, quò ad successiones haberi pro jam nato, non ut statim aliquid accipiat (incertum enim est an sit nasciturus) sed ut admittatur posteà, ubi fuerit natus. Quin etsi is qui in utero est, ante nativitatem admitteretur; fieri posset, ut contra *d. l. 7.* etiam aliis prodesset. Verbi gratià, si pater moriatur uxore prægnante relicta, & liberis ex alio matrimonio adhuc aliis: nunc si in utero existenti, portio assignaretur, hoc matri proficeret, quæ jure successionis eam caperet portionem, quamvis ille vivus haut veniret in hunc mundum. *vid. Pacium 1. ἐναντιοφ. 23.* (2) Quòd verò in utero existens, jam nati commoda habet: hoc non fictione sed quadam fit prærogativa. *Arumæ disp. ad Leges. 1. thes. 13.* Estque Privilegium hoc personale; quod ideò alii non prodest: nisi alteri non proficiendo, sibi noceret. Putà, cùm matri partum prodesse dicimus, ut ea ventris nomine in possessionem mittatur; *l. 1. si mulier ventr. nom.* vel etiam ut damnatæ supplicium differatur. *Pacius, ἐναντιοφ. centuria 1. quæstione 24.*

Cur autem in hàc nostra lege responsum invenimus, ancilla prægnans si fuerit surrepta, quamvis apud bonæ fidei emptorem pepererit; id quod natum est, tanquàm furtivum usu non capi. Quod sanè non pertinet ad commodum ejus qui in utero est; sed ad Domini illius, cui furtò ancilla fuit subtracta. Ergò hoc non ex eo fieri videtur, quòd pro nato habeatur; sed quia furti tempore pars fuit rei furtivæ: ut notat *hic* Faber. Furtivæ autem res, quamvis longo tempore possessæ, usucapi non possunt: vetante Lege XII. tab. *§. Furtivæ. Inst. d. usucap.* Cujus hæc verba fuisse Gellius l. 17. *cap 7* refert: Quod surreptum erit, ejus rei æterna auctoritas esto; auctoritatis verò verbo, usucapiendi cōditionem veteres significasse, ex compluſculis M. Cic locis satis superq; constat. Itaut illa verba, *æterna auctoritas esto*, hoc notent; æternum esse tempus, quo res furtivæ usucapi queant, h. e. unquam tempore nullo.

10. Arescusa, si tres pepererit, libera esse testamento jussa; primo partu unum, secundo tres peperit. Ultimus qui à liberà nascitur solus, solus quoque liber nascetur *l. 5. l. 16 d. stat. hom.*

Pro more suo, Anton. Faber, 20. *conject. 1. 2. 3. & in Iurispr. Papinian. ad princ. 3. tit. de Ingenuis. illat. 2.* has Leges à Triboniano valdè corruptas, ineptas, falsasque esse dicit. Cui multis & sufficienter respondet eruditiss. Just. Majer. *Eudox Iustin. 1. cap. 5.*

11. Personarum quædam sui, quædam alieni sunt juris. *l. 1. d. his qui sui vel alieni jur.*

At videtur, tertium quoque genus esse constituendum, sc. dubiorum; quales sunt filii ab hostibus captorum: *l. 1. § si pendeat. ad Macedon.* qui in incerto sunt, utrùm sui Juris facti, an adhuc pro filiisfam. computentur. *l. in bello. §. si quis capiatur. d. capitiv. adde l. bona. §. quod sit. d. tit. l. penult. d. suis & legit. §. si ab hostibus. Inst. quib. modis. jus patr. potest. solv.* Sed cùm absurdum Legislatoribus sit visum, quem eodem tempore, nec in suâ, nec in patris esse potestate: *l. 1. §. 1. d. sent. passis.* illorum probaverim opinionem, qui eos sui Juris esse interim, putant. Quamvis patriâ potestate nec dum planè liberati dicantur, propter postliminii spem. Quod & disertis verbis exprimit Ulpianus, cùm in *d. l. 1. §. si pendeat.* inquit; nam si reciderint in potestatem, &c: recidere autem, est rursùs & iterum cadere. Et itaque in patriam qui recidit potestatem, medio tempore sui juris fuit. *Coras. ad rubr. de his qui sui vel al. jur.*

(2) Porrò Hotoman. *ad pr. Inst. d. iis qui sui vel al. Iur.* non absonus est, cùm dicit: hanc divisionem non comprehendere servos, sed subdivisionem statui debere liberorum: quod & Vultejus *ibid. n2.* probat. Nec etenim Servus personarum divisionem subintrare potest: cùm persona servi sit nulla; *ut modo dixi §. 5.* Homo vocabulum est naturæ, Persona Juris Civilis. Indè Persona definitur homo, qui habet caput civile. *Vultej. ad §. 1. n. 1. Inst. d. Iure Personar.* Pariter quoque & Ulp. *in fragm. t. 4. & 5.* hanc divisionem, Liberis accommodat tantùm: hicque Gai, *in d. l. 1.* & Justiniani, *in t. Inst. d. his qui sui vel alien. jur.* inadvertentia apparet. Diss. *Cothman. disp. 4. thes. 1.*

12. In potestate sunt liberi nostri, quos procreavimus ex nuptiis justis. *l. 3. d. his qui sui, vel alieni jur.*

Is demum

Is demùm filius est, quem nuptiæ demonstrant: *l. 5. d. in jus voc.* nec enim aliter probari potest, hunc illius filium esse. Undè legatum alicui relictum, si se filium probet, nihilominùs debetur; & conditio tanquàm impossibilis, pro non adjectâ habetur. *l. Lucius. 83. d. condit. & demonstr.* Indè porrò ei, qui ab omnibus pro filio habetur; nec asseveratio ipsius matris nocet, etiamsi jurata foret: *l. Imperatores. 29. §. 1. d. probat.* ac si hoc affectu exheredetur, querelam nihilominus habebit. *l. si instituta. 27. §. 1. d. inoff. test.* Impossibile namque videtur, ut mulier cum duobus perpetim consuescens, à quo conceperit certò scire queat. Ergo aliud erit respondendum; si per absentiam, morbum vel aliundè constet, maritum cum uxore non concubuisse. Non enim ex nuptiis quæ oritur præsumptio, pro juris fictione haberi debet. *vid. Fabrum, in rational. ad l. 6. d. his qui sui vel al. jur.*

Injustæ Nuptiæ sunt, Patris quibus non intervenit consensus: cùm ergò nuptiæ ejusmodi, justæ non sint; nec liberi indè provenientes, pro justis & legitimis haberi queunt. *§. 11. Inst. d. Nupt.* Idque in tantùm est verum, ut nec filius ignorante Avo conceptus, in cujus potestate est mater aut pater; etiam post mortem avi natus, justus filius efficiatur. *l. 11. d. stat. hom.* Quid autem efficit ratihabitio patris, ex post facto accedens? Eam ego, non modò expressam, sed & sequentem tacitam; *arg. l. 7. §. 1. d. sponsal.* ad liberos antè natos retro trahendam esse, putarem. *argu. l. 68. d. jur. dot. §. ult. Inst. d. Nupt. Bronchorst. 3. ἐναντιοφ. 4. Hackelm. 1. illust. thes. 15.* contra *Arumæ. disputat. ad Leges, 15. thes. 4. & exercit. 2. thes. 10. Lyclam. 7. membr. ecl. 18. Val. Riemer. 2. thes. 3.* Non obst. (1) *l. 13. §. 6. d. adulteriis.* Ubi dicitur; eum qui alterius filiam, non impetrato ipsius consensu ducit, haut posse jure mariti accusare uxorem, quæ alteri sui corporis copiam fecit: etsi illam conjunctionem posteà pater concedat. Respondetur enim, non præsumi ita Nuptias ratificâsse patrem, ut eâ ratificatione, adulterii ream filiam facere velit: cùm è contrà, in casu præsentis quæstionis, nuptiis hisce consensum præbens, id maximè in favorem nepotum facere censeatur. (2) In l. 6. Cod. *d. Nupt.* susceptos liberos, non pro conceptis posteà, sed pro agnitis sumo: *arg. l. 132. d. Verb. Oblig.* ita ut hæc Lex nostram sententiam firmet. Et est prætereà hicce casus, à præsenti quæstione procul sejunctus. Non potest facere Præses,

ut Nuptiæ in provinciâ contra Leges contractæ, valeant retrò; Pater suâ ratihabitione, id potest, & velle reputatur. Quid ni autem pater id possit? cùm regulariter justo matrimonio subsequente, liberi antè nati legitimentur; §. *ult. Inst. d. Nupt.* quamvis aliàs meritò Nuptiæ præcedere debuissent. Instat quidem Arumæus: Non posse in nostro casu filios legitimari; cùm licitus sit concubinatus, uxoremq; ducere sine patris consensu prohibitum inveniatur. At dico: Copulationem illam, in vim nuptiarum illicitam esse; sed quid impedit, quò minus valeat ut concubinatus? Liberi exindè prognati, ratione patriæ potestatis vulgò quæsitis assimilantur; §. *pen. d. nupt.* non per omnia iis æquiparantur. (3) Ad d. l. 11. *d. stat. hom.* responderi potest: aliud esse, avum mori ignorantem, aliud eundem vivere & expresè ratihabere. In priori casu, durat injuria avo facta, si quandò nepos hic possit in ejus bonis succedere; sive mediatè, sive immediatè. Quæ permanens injuria, semper legitimationi obstat: non si pater injuriam illam ratihabitione remittat. *Faber, in rational. ad d. l. 11.*

13. Patria potestas, quæ eodem sensu dicitur nexus paternus, Sacra Patris, &c. *Duaren. d. nupt. c.* 1. Jus est Proprium Civium Romanorum. *leg. 3. d. his qui sui vel al. jur. §. pen. Inst. d. patr. potest. Timæ. Faber, disp. 5. thes. 2. Arumæ. exercit. 2. thes. 1. Andr. Gerhardi. disput. Instit. 2. quæst.* 1. *Jacob. Cramer. disp. ad Inst. 3. thes. 2. Ungepaur, exerc. 3. thes. 1.*

Reprehenditur hęc assertio à Fr. Connano. *2. com. 13. n. 2.* Bodin. *1. d. Rep. 4.* Pet. Gregor. Tholos. *11. Syntagmat. 5. n. 3.* Et quòd sit Juris gentium, pluribus comprobare nituntur Vacon. *declar. 8.* Alb. Gentil. *4. d. Nupt. 1.* Coras. *ad d. l. 3. d. his qui sui, &c.* Et fuit idem hoc jus, æquè proprium Persarum, Ægyptiorum, Hebræorum, Græcorum, Gallorumq;. *Gothofr. ad d. l. 3.* Imò ex ipsâ naturâ descendit: naturâ. n. patrem filiorũ Imperium habere, Aristoteles ait. *8. Ethic.* Sed sublata est difficultas omnis, si distinguatur inter Patriam Potestatem, Civibus Romanis concessam; & illud Imperium Paternum, Naturæ Lege apud omnes gentes quod est usurpatum. Hoc matri est commune; hoc pater habet, etiamsi civilis patria potestas per emancipationem fuerit soluta; hoc in liberos suos filius habet, qui & ipse unâ cum liberis in patris sui constitutus est potesta-

potestate. Illa multa singularia habet, aliis gentibus non nota: quæ accuratè digessit Illustris Enenckel, *in tract. d. Privileg. Parentum* ac quæ etiam videre licet, apud Coras. *suprà laudato loco.* & Hilliger. *2. com. 10. lit.* C. Non impedit lex 8. *de his qui sui &c.* ubi dicitur, Jus potestatis moribus esse receptum: quod de Juregentium nonnulli interpretantur. *arg. l. libertinus. d. ritu Nuptiarum.* Moribus enim aliquid introductum esse, cùm JCti dicunt, id Ius nonnunquàm significare volunt, quod cum Urbis primordiis usurpatum; vel postea (& tamen ante Legem XII. Tab.) usu receptum fuit. Sicque moribus prohibita est donatio inter virum & uxorem. *l. 1. d. donat. inter vir. & ux.* atque alia multa, quæ Iure Gentium licita censentur.

14. Qui ex justis nuptiis, septimo mense natus est, justus filius habetur. *l. 12. d. statu hom. l. intestato. §. fin. d. suis & legit. Aerodius, rer. judicatar. libr. 2. tit. 4. cap. 1. Speckhan. cent. 1. quæst. 77. Forster. disput. Inst. 2. thes. 7. Val. Arithmæ. peric. 1. disput. 1. thes.* 10.

Non est quòd ICtus (ut talis) rationē hujus rei indaget: Politica etenim Architectonica artiū cæterarum, omnibus utitur, non omnes exactè scire potest. Adhibet hìc, ut & aliis in casibus, Obstetrices, Medicos; eorumque scientiæ confidit. *Rudolph. Forner. 6. rer. quotid. c. 19. Aerodius, rer. Iudicatar. libr. 2. tit. 4. cap. 4.* Sed tamen Philologo de hisce dispicere licet. *v. Plutarch. d. placit. Philos. 5. c. 18. Macrob. Somnio. Scip. 1. c. 6. Cœlium Rodig. 20. ant. lect. 20. Levin. Lemniū, 4. d. occult. nat. mirac. 22. & seq. Talenton. 4. var. cap. 8. & seq. Laurent. Anatom. 8. quæst. 30.* Varias item hujus rei rationes, Gothofredus recenset. Ex quibus ea, quam refert ex Censorino *de die natali, c. 7. & seqq.* (qui rationem Pythagorici numeri urget) maxumè probabilis videtur. *adde Zieriz. tr. d. convers. Rerump. fol. 58. &c. & Henricum Lindenbrogium, in notis ad Censorinum, dict. loc.* Quamvis enim Aristoteles (qui sanè rerum abstrusarum non satis felix est indagator) quantitatis nullam efficaciam esse dicat: de eo tamen satis sum certus; Numero, Pondere, Mensurâ & Sono, res omnes naturales constare, horumq; proportione & æquilibrio regi. *Sapient. 11. v. 19. 4. Esdr. 4. v. 37.* Sed haut mirum est, Aristotelicos & Philosophos parilis farinæ, luculentissimos Naturæ effectus ignorare; cùm ipsis ridicula videatur vis magnetica, & imaginativa; cùm characteristicas impressiones, ut cæcus parietem, palpent.

Sic & septimus quisque annus, ætati imprimit signum: quæ est quoq; sententia Iureconsultorum, cum Stoicis communis. Ita septimo anno infantia terminatur: pubertas alio septennio distingui solet. *Emundus Merillius, observat. lib. 1. cap. 14. & 22.* Sicque porrò procedunt climacterici anni. Sed utrùmne septimi mensis, initium, an finem considerare debemus? *v. Cujac. ad Paul. 4. sentent. t. 9. §. 5.*

(2) De octavo mense, dubitare me facit Medicorum opinio concors; quæ vult partum illum vitalem non esse. *Agellius, 3. c. 16. Lemnius suprà laudato loco. Thom. Leonicus, d. var. histor. cap. 99. Speckan. 1. q. 77. num. 9. &c. v. Andr. Gerhardi. disp. Inst. 8. thes. 5. Forster. disp. 2. th. 6.* Eum tamen supplere jus trium liberorum, *Aerod. dicto tit. 4. c. 2.* & item rumpere Testamentum, extra dubitationis aleam positum esse videtur. *Bachovius, ad disp. Treutl. 2. thes. 5. lit. e.*

(3) Ut &, si Mulier post decem menses à morte Mariti pariat, id impudicitiæ suspicione carere non videtur. *l. filius. ff. qui sui vel alien. jur. Novell. 39. Forster. disput. 2. th. 4. & seq. Andr. Dalner. d. jure bom. 1. part. 6. n. 15.* Cùm eâdem die quâ obiit maritus, uxorem concepisse; præsertim ubi vir ægritudine diuturnâ confectus periit, non verosimile videatur. Sicque apud Lacedæmonios, Leothychidi, qui se Regis Agidis filium, ex Timæâ affirmabat, successio in Regno, denegata fuit; quòd post decimum mensem, quàm Timæa cum marito fuisset, natus erat. *Aerod. lib. 2. rer. Iudicatar. tit. 4. cap. 3.* Neque Iudicium Lucii Papyrii probare quimus; qui cùm mater partum se XIII. mens. tulisse contenderet, bonorum possessionem contra secundum heredem, Præturam gerens dedit: quoniam nullum certum tempus pariendi, statutum ei videretur, ut meminit Plinius. *7. hist. natural. 5. Aerodius. 2. tit. 4. c. 5. v. tamen Gail, 2. observ. 97. Speckhan, d. quæst. 77. n. 16. &c. Dan. Moller. 3. semestr. 28. Arumæ. exerc. 1. th. 29.* Quid si mulier statim post obitum mariti, alteri nubat (ut in Austriâ frequenter fieri, Treutlerus dicit, *disp. 2. th. 5. f.*) & nono mense à morte primi mariti filium edat? In dubio, partum secundi mariti prolem præsumi, dicit Grassus. *§. successio ab intest. q. 2. n. 5.* Speckhan. *1. q. 79. adde Iac. Curt conject. tom. 1. lib. 3. cap. 38.*

15. Quoties pater exclusus est à Successione avi, Nepos illius locum tenet, & succedit. *l. 7. de his qui sui vel al. &c.*

Sive Pater avi hereditatem repudiaverit; *l. 1. & 2. C. d. success. Edict.*

Edict. sive quòd est exheredatus; *l. 1. §. si pater emancipatu. ff. d. conjungend. cum emancip. lib. ejus. vid. tamen Gomes. var. resol. tom. 1. c. 11. n. 22. Busium ad L. 23. §. fin. d. inoff. testam.* sive quia pœnâ affectus est, ut succedere non possit. *l. 7. d. his qui sui. &c.* Non enim Fiscus succedit. *Costal. ad d. l. 7.* Et ita filio Bannito in ære & personâ, non potest Fiscus nomine Banniti præteriti, testamentum dicere nullum: nec filio Bannito legitima debetur, quod *ad d. l. 7.* disputat Baldus. Exindè etiam rectè dicitur: si quis Successione vel Regno privari mereatur; non ideò heredem quoque ejus legitimum, pro indigno reputari. *ut dixi Disput. Nomicopolitic. libr. 1. differt. 10. numer. 3.* Filius namque, nobilitatem à majoribus habet, non à patre: sicque renuntiatio vel confessio patris, non obstat filii nobilitati. Ita & sententia lata, in causâ nobilitatis contra patrem, filiis non nocet: nec in causâ nobilitatis, filius dicitur una persona cum patre; *Ioan. Aloys. Riccius, collect. decis. part. 4. decis. 733.* ut aliàs in jure nostro fieri solet. *Emund. Merill. lib. 3. observat. cap. 4.* At quærere hìc lubet; Num frater multam habens prolem, repudiare possit fratris hereditatem, in commodum suorum liberorum, ut eo recusante, ii cum filiis fratrum præmortuorum (paucioribus numero, aliàs cùm repudiâte in stirpes admittendis) in capita succedant? Quod ego negarem: cùm quippe succedant in jus sui patris, nec (ut in lineâ rectâ fit) proprio veniant jure.

16. Filius, sive patre, sive matre, sive utroque furioso, vel editus, vel conceptus, vel ante furorem natus, in patris est potestate: eique acquirit. *l. 8. d. his qui sui vel al. juris. Illustr. Enenkelius, d. Privileg. parent. Privileg. 1. cap. 5. num. 14. &c. ut & cap. 9. num. 28. ac etiam Privileg. 4. cap. 3. num. 15. Privileg. 6. cap. 10. num. 10.*

Quòd enim dicitur, id non valere quod pervenit ad eum casum, à quo incipere non potest: tamen hæc regula fallit, quoties actus semel habuit suum perfectum esse. *Ant. Faber ad d. l. 8.* Factum namque legitimum, non solet ex superveniente causâ retractari. *arg. l. 20. d. statu hom. cum simil.* Ergò licèt furiosus nuptias contrahere non possit; matrimonium tamen retinet, nec id dissolvi potest à furioso: æquè enim ad dissolutionem consensus requiritur, atque ad contrahendum. *l. 2. d. divort.* (z) Verùm non potest furiosus exercere Ius patriæ potestatis, ubi necessarium est aliquod factum. *l. 25. C. d. Nupt. Gothofr. ad l. 52. in princ. d. acquir.*

hæredit. Ideoque ejus liberi, sine ipsius voluntate nuptias contrahere queunt: *d.l.25. Cod. d.nupt.* & in mutuâ pecuniâ sumendâ, alisque in casibus similibus, pro filiis famil. habentur. *Gothofr. ad. d.l. 52. in princ. d. acquir. heredit.* Pater namque furiosus, retinet magis, quàm exercet Jus potestatis.

(3) Sic etiam Iudex aut Magistratus, qui furere cœpit; licet novè judex creari non possit: *l.2. §. quamvis. d. postuland.* retinet tamẽ auctoritatem. *d l.20. d. statu. hom. l.39. in pr. & l. 46. d. judic.* Quod etiam ad Regna & Feuda traducunt, Regemque ac Vasallum, non privari Regno vel feudo, volunt; quamvis eò adspirare non possit. *ego tr. d. success. & elect. Reg. lib. 3. c. ult. n. 26.* Et ratio differentiæ est, inter acquisitionem & retentionem; quia ibi animus requiritur, hic non item. *l.17. §.1. d. acquir. possess.*

17. In publicis causis, Paterna iura interquiescunt. *l.9. d. his qui sui. &c.* potior namque Reipublicæ est caussa, quã parentum. *l.77. & seq. d. judic. l.19. §. filius. d. captiv. Agell. 2. c. 2.*

Imò & aliquæ dignitates publicæ, eximunt à patriâ potestate. Sciendum tamen est, in iis, quæ vel propriè, vel non impropriè publica existunt, patriam potestatem cessare: non quæ κατά τι, seu impropriè publica putantur. Undè in testamenti factione, Nuptiis & similibus, patria potestas adhûc, vel maxumè exerit suas vires.

18. In multis articulis nostri juris, deterior est conditio Fœminarum, quàm Masculorum. *l.9. d. stat. homin. l. 1. d. Senator.*

Intelligendum hoc est, munerum civilium præsertim ratione, à quibus Fœminæ arcentur: *l.2. d. Reg. Iuris.* vel ob ignorantiam rerum, vel quia suscipere ea, propter pudicitiam sexui cõgruentem, prohibentur. *l. 1. § 5. d. postulando. Donell. 3. com. c. ult.* Quod de jure non scripto, accipit Goveanus; *1. var. 6. n. 1.* de Iure gentium rectiùs P. Faber. *ad d. l. 2. vid. quæ dixi Politic. lib. 1. cap. 6. num. 36. & tr. d. success. & elect. Reg. lib. 1. cap. 11.* Quamvis quoque de Iure naturali, maris & fœminæ non parem esse rationem, dicere queamus. *Bachovius ad. disp. Treutl. 2. thes. 1. lit. c.* Facta licet sit Eva non de Adami pede, ne famula; nec de capite, ne domina: sed de costâ, ut collateralis videretur. *Dalner. 1. d. jure hom. part. 4. n. 3.* Singulari autem tractatu *ad. d. l. 9.* à Dn. Fr. Pruckmanno scripto, differentiæ ferè omnes, operoso stylo enumerantur; quæ inter utrumque sexum, tàm ratione judiciorum & contractuum, quàm ultimarum voluntatum ac malefi-

ciorum.

ciorum constituit Ius Romanum: quod argumentum etiam exsequitur Martin Beneckendorff. *tr.d.Iur.mulier.*

(2) Quærere hic lubet, an Hominis appellatione Fœminæ contineantur? Non est nobis lis cum Fanatico illo, qui ante aliquot annos, Mulieres homines non esse disputavit: quem satis fortiter oppugnat Clarisf. Dn. Harppr. *ad §.5.Inst.d.public.judic. Drusius ad locaGenes.cap.10.Th.Sagittarius.quæst.illustr.centur.1.decur.7.quæst.5. Arithmæ.peric.3.diss.10.thes.1.* Vt nec adstipulari debemus iis, qui autumant, fœminam non æquè ac masculum, ad Dei imaginem conditam esse. *v.can.Hæc imago.33.quæst.5.Dalner.d.jure.hom.1.part.5.nu.7* Neque etiam ludimus cum festivissimo Rouzæo, qui *problem. 36.* sollicitè disquirit, cur anima rationalis mulieribus adtribuatur? Nostra disputatio Grammatica, nec magni aliàs est momenti. Et quidem pro negativa Cujac. *6.obs.21.* ac Wesemb. *in parat. ad L.Cornel.d.Sicar.* stare audent. Quibus adstipulatur Gallica, Italica, & Hispannica lingua; quæ *homme, huomo, hombre,* solùm de viro dicunt. Sed utut exteri loquantur: certè ex loquendi ratione, nil tale concludere licet nam & Austriacis Mensch/ sumitur pro puellâ. Et rectiùs sentiunt, contrariam qui sententiam (nempe *homo* pro muliere quoque Latinis usurpari) amplectuntur. *Iacob.Cramer. disp.2.thes. 2.Dalner. 1.part.2.n.24.&seq.vid. Sagittarium decur.5.q.1.* Et l. si quis aliquid 38.§. *qui abortionis.ff.d.pœnis.* nihil Cujacium, ejusque asseclas juvat. *v.Iust.Majer.disp.ad.lib.1.ff.thes.135.* Sumitur enim ibi mulier pro prægnante: homo pro fœtu, in utero matris adhuc existente. Quem rectè generali vocabulo, hominem nominat ICtus: quia antequâm in lucem edatur, annè mas vel fœmina fiet, adhuc ignoratur: eumque hominem vocat, ad differentiam Embryonis (quem abigens, mitiori pœnâ punitur, cùm non coseatur animatus. *Lemni. 1.occult.naturæ mirac.c.11.Merillius.1. observat. cap. 16.*) non ad mulierem, ab hominis adpellatione excludendam. Quin, si in d.l.38.hominis vocabulum, pro masculo solo sumeretur: impune esset, si poculum abortionis filiolam morti daret, quod est absurdum.

19. Hermaphroditus seu androgynus, ejus sexus æstimatur, qui in eo prævalere invenitur. *l.10.d.stat.hom.Dalner.1.part.10 num.55.&c.Speckhan.cent.1.quæst.76.*

Vndè, si cui feudum datur eâ lege, ut ad filium pertineret, si masculus esset natus: & Hermaphroditus interdùm succedet. *Costal.ad.d.l.10.d.stat.hom.* Solo ferè Dn.Bocero (qui eum nunquàm admit-

tit) sed sine sufficiente ratione, dissentiente. *tractat. d. Feud. success. cap. 3. quæst. 43.*

(2) Monstrum non est Hermaphroditus (quod tamen Romani olim putaverunt: *Plin. lib. 7. cap. 3. Agellius 9. cap. 4. ad fin. Orosius, 5. hist. cap. 4. Ærod. lib. 2. tit. 4. cap. 6.*) quia figuram, & rationem habet humanam, *f. l. 14. in fin. d. stat. hom.* & hominem (quod sæpè experientia testatum fecit) gignere potest. *Lemnius. 1. occult. cap. 9.* Sanè non potest utriusque sexus Iure gaudere: vix namque est, ut uterque sexus in eâdem personâ prævaleat ex æquo; cùm quippè masculos à fœminis, totâ specie distinxerit natura. *v. Baubinum tr. d. Hermaphr. singul.* Licet de Hermaphrodito Ovidius canat. 4. *Metam.*

Nec duo sunt sed forma duplex; nec fœmina dici,
Nec puer ut possit: neutrumque & utrumque videtur.

Sed Galli quidam negant dari hermaphroditum. *Mercure François, tom. 3. fol. 196.*

Non à materiâ propositâ recedimus, si indagemus; An sexus mutatio fiat per naturam? Latentis sexus manifestationem concedo: *vid. Paræum, lib. 24. Chirurg. cap. 5. Pina. d probat. virginitat. problem. 2.* (nam id exempla probant, *Gaud. Merul. Sylv. var. lect. 1. cap. 3. Galeott. Mart. doctr. promisc. c. 18.*) veram mutationem nego. Membrorum enim humani corporis structura, & forma repugnant. *vid. Andr. Laurent. libr. 7. Anatom. quæst. 8. & libr. 8. quæst. 1. Sagittarium, quæst. illustr. 1. thes. 6. Aerod. dict. cap. 6. ad fin. Henr. Petraum, disp. miscell. medicâ 12. problem. 2.*

20. Non sunt liberi, qui contra formam humani generis, converso more procreantur. *l. 14. d. stat. hom.*

Undè nec Testamentum rumpunt. *Dn. Bocer. class. 3. disput. 3. thes. 12. vid. Paul. 4. sentent. 9. §. 3.* (quamvis aliàs id faciant qui vivi nascuntur, licet illicò decedant, vel exsecto ventre essent nati. *l. 12. ff. l. 3. Cod. d. liber. & posth.*) Non habentur pro hominibus, ut eorum caussâ quis L. Corneliâ teneatur, *Coras. ad l. 14. d. stat. hom. Gothofr. ad l. quæret aliquis. 135. d. V. S.* Lex verò *135. d. V. S.* contrarium innuere videtur. Ait namque Ulpianus; Partus istiusmodi contra formam generis humani procreatos, matri prodesse: neque enim, inquit, detrimentum adferre debet, quod fataliter contingit. *Resp.* Prodesse non quasi liberi sint, sed quia est enixa, & quatenùs in ipsâ fuit, paruit legi, operamque liberis dedit, indeque meritò non incur-

incurrit pœnam Papiæ sanctionis, quæ orbas multabat semisse legatorum. Monstrosus ergò partus, prodest matri ad damnum seu pœnam evitandam; non ut ex eo captet lucrum. *Donell. 2. com. 20. ubi Hilliger. Pacius. 1. antinom. quæst. 25. Arumæ disput. ad ll. 1. thes. 14. Ant. Mattha. disput. ff. 1. thes. 33. Everh. Speckhan. centur. 1. quæst. 81. ubi hanc in rem multa habet. vid. Emund. Meril. 1. observ. cap. 33.*

(2) Si Monstrum retineat formam humanam, & homo appellari mereatur; non tollendum, sed tanquàm testimonium Divini judicii, relinquendum. *Ærod. lib. 2. d. t. 4. cap. 6. & seqq.* Sin autem recedit à formâ humanâ, tolli à Magistratu potest; quin nec alidebet. *Ioh. Vlr. Wolff. in Colleg. polit. disp. 3. thes. 33.* Sicque Mauritius Imp. Christianus, enatum suo seculo monstrum, occidi præcepit: & ejus factum ab Ecclesiâ fuit approbatum, ut Nicephorus scribit. *libr. 18. Hist. cap. 35. Danæ Ethic. Christ. c. 13. fol. 188. Lemnius, 1. d. occult. natur. mirac. cap. 8. & 15. Thom. Sagittar. quæst. illustr. cent. 1. dec. 2. quæst. 5. Dalner. d. jure hom. 1. part. 10. ego lib. 1. Polit. cap. 10. n. 32.* Et talia Monstra quæ humana non sunt, nec resurrectura dicunt: *Martin. Weinrichius, in com. d. ortu Monstrorum, cap. 54. Kornman, d. miraculis mortuor. part. 8. cap. 70.*

21. In Orbe Romano qui sunt, ex constitutione Antonini, Cives Romani sunt effecti. *l. 17. d. stat. hom. v. Paul. Busium, 1. polit. c. 7. Magium, 4. miscell. cap. 5.*

Sub Liberâ Rep. Romanâ, in Provinciis Bello-subactis, qui habitabant, non poterant esse Cives Romani. Penes Populum enim Romanum, omnis erat Majestas, quam cum Provincialibus communicare, non conveniebat: utpotè qui Dominicâ imperandi ratione regebantur. *Busius. 2. Pol. cap. 3. num. 6. & dixi Polit. c. 9. n. 9. lib. 1.* Idque & Virgilius innuit, cùm *1. Æneid.* ait:

Hinc populum latè Regem. ———

Indè Civitatem ægrè dabant. *Hillig. 2. Com. cap. 16.* (privilegia Civium enumerat Cicero, *pro Balbo. Coras. ad l. 17. d. stat. hom.*) Posteà Imperatores, arcano consilio, & sub specie Provincialibus commodandi, utque Roma communis patria haberetur: *l. Roma. ad Municipal.* ex Provincialibus Cives; sed in effectu, ex Civibus liberis, verè subditos fecerunt. Noluerunt quippè Populum Romanum, aliquam prærogativam libertatis præ aliis habere; cùm sit contra Monarchiæ rationem, subditos privilegia habere, nec non omnibus ex æquo Regem dominari.

At ais, Iustinianum primùm omnes liberos, cives Romanos effecisse. *1. tit. C. d. dedidit. & Lat. libert. tollendâ. §. ult. Inst. d. libert.* Respondeo: Antoninus ingenuis omnibus Ius dedit Civitatis; Iustinianus etiam libertis: utpotè qui anteà, etsi Romæ nati forent, Cives tamen esse nequiverunt. Natalis soli conditionem sustulit Antoninus; etiam personæ Iustinianus. *Donell. 2. com. 16. Cujac. 4. obser. 5. Ant. Faber. ad d. l. 17. d. stat. hom. & 1. Iurispr. 5. par. 3. & t. 9. par. 2. illat. 1. Add. Vetran. Maur. tr. d. Iure. liberor. c. 36.* Triplex enim ante Iustinianum erat Libertorum status; ut multis docet Cothman. *disput. 3. thes. 4. & seqq.*

S. Dionys. Areopag. *d. Divin. nominib. cap.* 8.

Iustitia autem rursùm, Deus laudatur; quòd sua cuique pro dignitate tribuat: quòd modum, pulchritudinem, ordinem, ornatum, omnesque distinctiones & ordines, termino, qui verè æquissimus est, unicuique definiat; & omnibus suæ cuique actionis auctor sit. Divina enim justitia, omnia disponit & determinat, omniaque non confusa inter se, nec permixta custodiens: iis quæ sunt omnibus, quod cuique accommodatum est, tribuit; pro eâ quæ unumquodque eorum quæ sunt, attingit, dignitate. Quæ si rectè dicimus, omnes qui divinam justitiam reprehendunt, semetipsos injustitiæ planè condemnare ignorant.

FINIS.

Corol.